Ex libris
Kulenkamp.
61 gl.



AMSTELODAMI, *Sumptibus* ANDREÆ FRISII, MDCLXIX.

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/laurentiipignori00pign_2

LAURENTII PIGNORII PATAVINI

MENSA ISIACA,

QVA

Sacrorum apud Ægyptios ratio & ſimulacra ſubjectis tabulis æneis ſimul exhibentur & explicantur.

ACCESSIT

Ejuſdem Authoris de MAGNA DEUM MATRE *diſcurſus, & ſigillorum, gemmarum, amuletorum aliquot figuræ & earundem ex* Kirchero Chifletioque *interpretatio.*

NEC NON

Jacobi Philippi Tomaſini MANUS ÆNEA, & de vita rebuſque PIGNORII diſſertatio.



AMSTELODAMI,
Sumptibus ANDREÆ FRISII.
cIↄ Iↄ c LXIX.

L. Kulenkamp.
1754.

Ampliſſimo, Spectatiſſimo, Celeberrimoque Viro,

DOMINO

D. JOANNI BLAEU,

I. U. D.

Nec non Reipublicæ Amſtelodamenſis digniſſimo Senatori,

P. F.

AD quam Te, Vir Ampliſſime, quâ poſſum humanitate invito, menſa eſt, ijs referta dapibus, quæ maxime faciunt ad palatum tuum. Tu enim INDEFESSUS AGENDO tam multa appoſuiſti lectoribus

tuis, id eſt, avidis abditæ & retruſæ doctrinæ mentibus inexpectata fercula, ut jam mundus univerſus habeat exquiſitiſſimas in ATLANTE tuo epulas: Sine me ergo quaſi ſymbolum meum adferre, ut honeſtius tecum liceat convivari: Suſcipe, inquam hanc *Iſiacam menſam*, ab alijs quidem ſtratam, à me verò in multis hac nova editione adornatam, & condimentis quibuſdam inſtructam, quo magis delectet, aut certe ijs, qui nondum habent palatum factum ad has delicias, minus faſtidio ſit. Te autem hæc talia non faſtidire, ſed avidè appetere, præſertim dum eo, quem ego præ me

fero

ſero pleno amoris & obſervantiæ offeruntur affectu, certo ſcio. Qui amor, ne quaſi fuco oblitus, tibi ſynceritatis amantiſſimo quid adulationis redoleat, ſuperſedebo hîc enarrare laudes tuas, quæ cum operibus tuis orbem pervaſerunt univerſum, tantum orabo ut hoc munuſculum ea benevolentiæ demonſtratione ſuſcipias, qua tibi veneratione illud defert

Ampliſſimæ Dominationis Tuæ

obſequio addictiſſimus

ANDREAS FRISIUS.

AN-

ANDREAS FRISIUS
Lectori Benevolo
S.

M*Enſa quam exhibemus* , Isiaca Pignorii *eſt, ſedita, (abſit verbo livor) ut noſtra videri poßit. Etenim præterquam quod menda, quæ irrepſerant plurima ſuſtulimus, & verba authorum ſubjectis eorundem in margine nominibus, quantum id quidem fieri potuit, diverſo à textu charactere expreſsimus, id etiam quod in hac re præcipuum fuit egimus, ut tabulæ, quibus ipſa Menſa abſolvitur, ad exemplar & normam Illuſtris Andreæ Vici exprimerentur, eædemque ſimul & limbus literis numeriſque correſpondentibus, eo quo decet ordine, deſignarentur; poßitque jam uno intuitu quicquid hoc eſt operis ſine ulla ſtudiorum graviore mora perluſtrari. Ac ne quid deeſſet quo juvari ſtudia antiquariorum poſſent,* Amuleta *quæ Pignorius ad finem auctarij nulla addita explicatione ſubjecerat, ex Kir-*

chero

chero Chifletioque illuſtravimus , adjectis recens pluribus alijs veterum nummis , nec non his , quæ idem Pignorius de Magnæ Deûm matris Idææ Attidisque initiis *& Tomaſinus de* Manu ænea , Cecropij votum referente , *non minus eruditè quàm luculenter tradidit. Et quia indignum videbatur ſine aliquo memorabili encomio & velut inglorios mori , qui alijs erudito labore vitam famamque conciliant , coronidis loco adjecimus Tomaſini de* Vita , Muſeo & Bibliotheca Pignorij *diſſertationem , ut hac ratione per Tomaſinum reviviſceret Pignorius , & per Pignorium tanto magis innoteſceret Tomaſinus. Hæc ſunt benigne Lector , quæ præter nitorem editionis copioſiſſimumque rerum , verborum authorumque indicem bene de te merendi ſtudio , non ſine rerum noſtrarum remora primi , & præ alijs præſtitimus , quæ ſi grata tibi acceptaque eſſe videbimus, eſt quod nobis gratulemur. Vale.*

AD BIBLIOPEGUM.

NOverit Bibliopegus in compingendo hoc tractatu, tres priores menſæ Iſiacæ tabulas literis A. B. &c. uſque ad P. notatas, ſecundum ſeriem literarum conglutinandas, & inter 16. & 17. pag. inſerendas eſſe.

Qua eadem ratione tabulæ tres, literis Q. R. &c. uſque ad H H. inſignitæ, inter 32 & 33 Pag.

Et tres reliquæ, literis I I. K K. &c. uſque ad Y Y. ſignatæ inter 48. & 49. pag. inſerendæ ſunt.

Tabulæ limbum conſtituentes, num. 10 & 11 ſignatæ, collocandæ ſunt inter pag. *66*, & *67*.

Quod ſi cui menſam Iſiacam totam conglutinare placuerit, ſupremas tribus tabulis prioribus, intermedias ſequentibus tribus, & infimas tribus reliquis tribuat.

Limbum duabus diſtinctis tabulis contentum, quod attinet, primo utraque tabula juxta ductum linearum in partes diſſecanda, poſtea particulæ omnes ſecundum ordinem alphabeti majoris conglutinandæ, & figuræ à numero 1. ad 25, vel inter a. *&* b. interceptæ, ſupra, figuræ inter lit. c. *&* d. contentæ, ad dextram, literæ inter e. *&* f. comprehenſæ, infra, & inter g. *&* h. intermediæ ad ſiniſtram, ſecundum ordinem numerorum collocandæ ſunt.

LAURENTII PIGNORII PATAVINI
MENSÆ ISIACÆ EXPOSITIO.

Cap. I.

HORTARIS me MARCE VELSERE, V. Cl. ut Tabulam illam puræ putæ antiquitatis inſigne monumentum, quam VINCENTIUS Mantuæ DUX, è Petri Bembi Cardinalis Muſæo tranſlatam jam diu domi habet, diducto quo obducitur antiquiſſimæ Hiſtoriæ linteo, & in bono explicationis lumine quatenus licuerit collocatam, publice conſpiciendam proponam. *periculoſæ plenum opus aleæ* (ita cum Lyrico vate dicere liceat) tractari jubes, tractabitur tamen in tuæ ſpem gratiæ, quam etiam ſi diſcupere me dixero, miro tamen quo ejus teneor deſiderio vix fecero ſatis. rem igitur aggrediar optimis auſpicijs tuis; ejuſdem Tabulæ ſimulacra non ἀλληγορικῶς, ſed ad veterum narrationum fidem pro viribus expoſiturus. odi enim ego ſi quis alius nimias illas, & à propoſito plerumque alienas hujuſmodi rerum interpretationes, quas in confirmationem labantium Fabularum Platonici, Præceptoris dogmatum parum memores, invexerunt

Euſeb. lib. 3. de præparat. Evang. c. 3. Lib. 2. de Repub.

runt

runt : ſatiuſque duxi ignorationem fateri, quam erudito Lectori faſtidio eſſe. Utcumque res ſit tuum erit Vir Cl. ſi quid peccatum agnoveris ignoſcere primum; deinde cogitare me oneri, quod longe viribus meis impar impoſuiſti ferendo non eſſe. ut enim ſileam rei propoſitæ difficultatem eam eſſe, ut per L. & amplius annos hæc ſiparia ſibi explicari fruſtra peroptaverint Philologiæ amatores; torquent me profecto veterum Auctorum variæ, & diſtractæ ſententiæ, quibus Ægyptiorum de Religione commenta ita exagitantur, ut conſiſtere nullo modo queant. apud Herodotum Iſis eadem eſt quæ Δημήτηρ, id eſt, Ceres, Oſiris idem qui Bacchus. Ideo placuit nonnullis Melampodem Amythaonis ex Ægypto in Græciam myſteria tranſtuliſſe. apud Diodorum Iſis cum Luna, Cerere, & Junone: Oſiris cum Sole, Sarapide, Dionyſio, Plutone, Ammone, Jove, Pane in unum veluti corpus rediguntur. Servio, & Macrobio Iſis, Terra, vel Natura rerum eſt; Oſiris verò cum Adone, & Atide Sol, & hoc ex intima Ægyptiorum Theologia; legimus enim cultum fuiſſe apud Alexandrinos quoddam ſimulacrum, quod Oſiridis, & Adonidis nomine venerabantur. idem apud Amathuſios notavit Stephanus. immo & Byblij ambigebant utrum quotannis rite lugerent, Oſirin videlicet an Adonin. Plutarcho Oſiris, Pluto, Bacchus, Sarapis, Apis, Oceanus, Sol, Sirius idem ſignificant numen: Iſis Minerva, Proſerpina, Luna, Thetis, nomine diſſident, re non item. Appuleio Iſis, Deum mater,

Lib. 2. Cedreno idem viſum.

Refert Clemens in Protrept.

Lib. 1. cap. 2.

Servius. 8. Æneidos in fin.

Saturn. lib. 1. cap. 21.

Suidas in ἡραΐσκος.

Lucianus de Syr. Dea.

De Iſide, & Oſiride.

Lib. 11. Metam.

ter, Minerva, Venus, Diana, Proſerpina, Ceres, Juno, Bellona, Hecate, Rhamnuſia, unicus δαίμων multiformi ſpecie (ne ab ejus verbis abeam) nomine multijugo appellantur; ut non immerito à quibuſdam Iſis Μυριώνυμος fuerit dicta, Heliodorus cum Plutarcho arcanum quidpiam prodit, Nilum Oſiridem, Terram Iſidem eſſe. Statius Titana, Phœbum, Oſirin, Mithran, eoſdem canit. Marcianus Capella Solem, Serapin, Mithran, Ditem, Typhonem, Atyn, Ammonem, Adonin unica nomenclatione differre aſſeveravit, & alibi, Soli Lunæque diverſitatem gentium innumera vocabula ſociaſſe affirmat.

Plutarch. de Iſid. Heliod. lib. 9. Æthiopic. Lib. 1. Thebaid. Lib. 2. de Nupt. Philol. Lib. 8. de Nupt.

Hoſce Scopulos ut evaderent, fuerunt qui Sarapidem, & Iſidem in Gemmis ita ſcalpendos curarent.



Ut non ab re Capuæ legatur in antiquo marmore.

TE. TIBI
UNA. QUÆ
ES. OMNIA

DEA. ISIS
ARRIUS. BA
BINUS. V. C.

Præterea, quod talia inquirenti majores tenebras offundere poſſit, non liquet utrum Oſiris fuerit Iſidis maritus an frater vel filius. Diodorus enim, & Marcianus maritum, Plutarchus fratrem & maritum, Lactantius & Minucius Felix filium, Euſebius maritum, fratrem, & filium fuiſſe ſcribunt. quod ſi animadvertiſſet Gyraldus Lactantium appellantem Oſirin Iſidis filium non reprehendiſſet. hujus controverſiæ veſtigium extat in antiqua gemmæ ſcalptura, in qua Oſiris cum triplici pene ad Pamilitia indicanda, de quibus Plutarchus; digito ad os admoto ac ſi Oſiris, Orus, & Harpocrates ijdem eſſent.

Lib. 1. de Nupt. Phil. Lactantius lib. 1. c. 21. Euſeb. lib. 3. de præpar. Eu. c. 3. Syntagm. 8.



Accedit ſacrorum iſtiuſmodi jure merito jampridem memoriam evanuiſſe; tum quia Deus Optim. Max. Deus zelotes ea mirum in modum oderat; tum quia reliquis nationibus riſui potius hæc, quam venerationi fuerunt. Ciceronem audiamus, qui Ægyptiorum in hoc genere dementiam, *Ægyptiorum imbutas mentes pravitatis erroribus* Ægyptiorum ſuperſtitiones, cum ſtomacho, & riſu non ſemel recenſuit. Juvenalis non magis acriter, quam vere cecinit.

Lib. 1. de Nat. Deor. Tuſcu. 5.

Sat. 15.

Quis

Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat?

Quid Græci ſenſerint exponent nobis Ælianus, & Max. Tyrius. ille Ægyptiorum cultum multiplici, & vario riſu exceptum tradit: hic deteſtatur Ægyptiorum numinum λατρείαν, quod illorum ſit ἀγεννὴς ὃ ἡ θεραπεία, αἰσχρὰ ὃ ἡ τιμή. Plutarchus ipſe, qui elegantiſſimo libello conclamatam ſuperſtitionem in vitam revocare conatus eſt, veritatis fidiculis tortus negare non potuit, totam penè hujuſmodi ſacrorum rationem ſannis, & irriſioni objectam fuiſſe; & ſane quis à riſu abſtinuiſſet? colebant enim beſtias fere omnes, quas portentorum mater Ægyptus alebat. in his & Serpentes, & Dracunculos, quos illi Agathodæmonas vocabant. hæc ſacra (ut ipſi dicebant) animalia eo ſtudio venerabantur, ut cum admiratione dixerit Cicero, *firmiores apud Ægyptios opiniones eſſe de beſtijs quibuſdam, quam apud Romanos de ſanctiſſimis templis, & ſimulachris Deorum.* ita prorſus, & ſine amplificatione fuit: Canem, Accipitrem, Felem, Ibin, Crocodilum & alia hujuſmodi ſi quis violaſſet, capite plectebatur. cujus rei præter alia ſexcenta extat illuſtre teſtimonium Moyſis, in Ægypto ſacrificare detrectantis; *quod ſi* (inquit) *mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptij coram eis, lapidibus nos obruent.* & hoc fundamento nitebatur juſta & legitima Joſephi contra Apionem ratiocinatio, *Orbem Terrarum*

Lib. 12. hiſt. anim. cap. 5.
Serm. 38.
Lib. 1. de Nat. Deor.
Exod. cap. 8.
Lib. 2.

ſi Ægyptiorum ſacra ſuſcepiſſet, brevi beſtiarum plenum, inanem hominum futurum. conabantur quidem ipſi velamento myſteriorum inſaniam obtegere, dicentes (ut ridicule Porphyrius philoſophatur) divinitatem non per hominem tantum, ſed & per omnia animalia pertranſiviſſe.

Lib. 4. de abſtinent. ab eſu carn.

IV. Georg.

----------Deum namque ire per omnes
Terraſque, tractuſque maris, cælumque profundum.

Digna utique res, quam & Lucianus in Hermotimo rideat, & alibi non ſemel inſectetur. ut hinc ſequi videatur,

Juvenalis. Sat. 15.

Porrum & cæpe nefas violare, & frangere morſu.

Ita ut exclamare libeat,

O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina!

Lucian. de ſacrif. & alii. Idem de Aſtrol.

Fabulabantur præterea Deos in animalia mutatos, metu, & vi cogente Typhone, quibus adjicias licet (ut Vara Vibiam ſequitur) inſigne commentum, cultos videlicet Arietem, Piſces, Hircum, Apin, quod hujuſmodi ſigna in Cælo primi Ægyptii obſervaſſent. ad hæc alenda ſumptus univerſi ſuppeditabant, exceptis Thebaidos incolis, qui nullum mortalem Deum eſſe cenſebant, ſed *Eneph*, ſeu *Kneph* Deum immortalem venerabantur, hæc feſtis diebus, Fanis, ſacrarum epularum appoſitione, Sacrificijs, & ſepulchrorum molibus dignati ſunt, ut Theodoretus

Plutarchus.

Theodoret. ſerm. 3.

præ-

præter alios teſtatus eſt. huc autem pertinet, quod Herodotus notat, *Ægyptios cum feris veſci*, contra omnium mortalium inſtitutum. faceſſit negotium poſtremo, perijſſe magnam illam ſcriptorum turbam, quibus hæc poſteritati tradere curæ fuit, quorum nomina, hîc, ut è naufragio tabulas, colligere operæ precium duxi. agmen in primis mihi aget Hecatæus Abderita; mox Ptolemæus & Aſclepiades, ambo Mendeſij, Eudoxus, Ariſtagoras, Manethon, Hermeus, Cheremon ille Stoicus, Appion Polyhiſtor, Philarcus, Leo Ægyptius, Demetrius, Lynceas ſive Lynceus Naucratites, Hellanicus, & Ammianus Marcellinus in geſtis Hadriani, & Severi Principum, quæ magno hiſtoriæ malo perierunt. his fortaſſe annumerandi Andron Alexandrinus, Appollonius, & Iſter; alijque quos ocioſus lector facile adnotabit. horum omnium alicubi latentia fragmenta ad nos evaſerunt, quæ nocti huic noſtræ illuni, & nubilæ creperi neſcio quid luminis, attulerunt. vere enim in Aſclepio vaticinatus eſt Mercurius ille Triſmegiſtus; *o Ægypte, Ægypte, religionum tuarum ſolæ ſupererunt fabulæ, eæque incredibiles poſteris tuis.* atqui dicet aliquis integri quidam è ſcriptoribus ad nos uſque pervenerunt. fateor id quidem, & ingenti Dei beneficio accidiſſe credo, ut præ oculis homines haberent, in quas tenebras inciderint illi, divinarum rerum illuſtri ſplendore deſtituti. verum plerique horum auctorum ea ſuperſtitione, quæ tunc animos hominum imbuerat, impediti, myſteria ſilentio involvunt; inter quos Herodotus, Dio-

Lib. 7.

Plutarchus. Suetonius Augusto. Suidas Heraiſco. Euſeb. de præp. Eu. lib. 10. c. 3. Diog. Laërt. in Prohem. Ioſeph. lib. 1. cont. Apion. Theodoret. ſerm. 3. Gell. lib. 5. c. 14. Tertull. de coro. Mil. Athenæus. lib. 15. & 13. & alii complures.

Cap. IX.

Diodorus, Heliodorus, Pauſanias, & Appuleius. myſtis namque peculiaris indicta fuit taciturnitas: quam ſi quis ſolviſſet, improbus inteſtabiliſque cenſeretur. Horatius,

Lib. 3. Carm. Od. 2.

------ vetabo, qui Cereris ſacrum
Vulgarit arcanæ, ſub ijſdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat Faſelum.

Hujus ſilentij ea cauſſa erat, quod hæc vel turpia vel crudelia eſſent, qualia Eleuſinia, Peſſinuntia, Adonia, Iſiaca, Bacchanalia, Ityphallica, Omophagia, & Mithriaca fuerunt, quæ exagitare conſueverunt Eccleſiæ Chriſtianæ indefeſſi Prædicatores, Juſtinus, Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Cyprianus, & alij, à quibus pete mi lector ſi tenebras illas cum magno fructu pietatis, & eruditionis diſcutere lubet; haſce inſtituti mei remoras conſulto recenſui, ea mente, ut ſi quid πολυιστορίας ſtudioſi per me profecerint, Deo Opt. Max. acceptum ferant: ſi verò, quod proclivius eſt, longe ſecus acciderit, voluiſſe me tamen conſtet, rei obſcuræ, & penè dixerim deſperatæ lucem & medicinam orationis afferre, qui conatus, niſi me φιλαυτία fallit, laudem aliquam apud poſtereos ſaltem promerebitur.

Cap. II.

Fuerunt qui hanc Tabulam inexplicabilem eſſe Appuleij auctoritate firmare conarentur. ſed fefellit

lit eos Appuleius, qui ita ſcribit, *de opertis adyti profert quoſdam libros litteris ignorabilibus prænotatos, partim figuris cujuſcemodi animalium, concepti ſermonis compendioſa verba ſuggerentes: partim nodoſis, & in modum rotæ tortuoſis, capreolatimque condenſis apicibus à curioſa profanorum lectione munita.* non erit opinor qui hæc verba ad aliud, quam ad litteras trahat, cujuſmodi in Tabula ipſa, & alibi plurimas videmus; quæ tamen tunc temporis doctis ignorabiles non fuerunt, ſed à curioſitate tantum profanorum hominum egregie munitæ; alioquin qui potuiſſet impoſtor ille Appuleium monere, ut pararet, quæ forent ad uſum Teletæ neceſſario præparanda? ut miſſos faciamus Strabonem, Plinium, & Ammianum, obeliſcorum quorundam Notas interpretantes; quos tamen omnes Goropius ſuggillat, ſed quam recte ipſe viderit. in hiſce litteris explicandis, quas modo in Tabula expreſſas monui, operam perdere nolui: in eo Agro, quem ego primus (ni fallor) ſatis proſcidi, meſſem alijs relicturus. acute namque monuerunt Pœni, Agricolam allidi, cum valentiore, quam ipſe ſit Agro colluctantem. erit forſan aliquis, cui & majus otium, & ſtudium acrius & doctrina ſubtilior ſuppetant, qui hoſce griphos interpretetur. mihi neque Notas (paucis exceptis) agnoſcere, neque ſenſus abditos expromere datum fuit. potuiſſem quidem ex ingenio, multo cum labore, pauco cum fructu aliquid comminiſci: ſed quis poſtea recepiſſet illum, qui notas duxerat ita ſenſiſſe? at Horapollo, dicet aliquis libello

Lib. 11. Metamorph. Ignorabiles vocat, & *Ammianus lib. 21.*

Strabo. l. 17. Plin. lib. 26. cap. 8. & 9. Ammianus lib. 17.

bello peculiari, Clemens Alexandrinus & alij præiverunt. utatur per me qui volet: ſentiet enim, quod & vidit magnus vir Ant. Augustinus, non magis eos huic rei quam tractamus conducere, quam verſus aliquot Plauti ad vetuſtam Pœnorum linguam expediendam. utque in ſemitam redeamus, notandum eſt, Ægyptiacam ſuperſtitionem, exagitatam licet, & ſapientum contumelijs vexatam, per Orbem fere univerſum diffuſam fuiſſe. adeo ut vere ſcripſerit Diodorus, *ubique fere terrarum Iſidem cultam*, idque propter manifeſtas ejus morborum curationes (tales miſeris offucias obtrudebat Diabolus) cui teſtimonio adjungimus nummum æreum Claudij Imperatoris, in quo Iſis cum Siſtro, & Situla inſcribitur Salus Aug. ad hæc navigantium tutela credebatur, ventorumque Domina. Juvenalis de votivis Tabellis.

Dial. 4. de numiſm.

Lib. 1. cap. 2.

Sat. 12. ubi Vet. interp. Tibull. lib. 1. eleg. 2. Lucian. in Dial. Noti & zephyri. Pauſanias, Ariſtides. Plutarchus. Herodotus lib. 4. Corn. Tac. de Mor. Germ. Smet. Inſcr. Antiq. Arnob. lib. 2. adv. Gent. Tertul. Apologet. cap. 6. Dio. lib. 40. 42. 47. 54.

------- *Pictores quis neſcit ab Iſide paſci?*

Colebatur in Græcia paſſim, in Aſia Smyrnæ, in Phœnicia Bybli, in Libya Cyrenis, in Germania apud Suevos, in Luſitania apud Bracar-Auguſtanos. Romæ profecto diu jactata ſacra, manſerunt tamen. Anno ſiquidem Urbis DCXCVI. Piſo & Gabinius Coſſ. ex Urbe ejecerunt, ut narrant Arnobius, & Tertullianus. Anno DCC. fana Iſidis, & Serapidis ex S.C. ſolo æquata ſunt. poſt ſeptem annos Aruſpices omnia eorundem Templa demoliti ſunt. quinquennio tranſacto irrepſerant hæ ſordes in purgamento-

rum

rum hujuſmodi ſentinam, niſi M. Agrippa Ædilis anno Urbis DCCXXXII. extra pomœrium receptas eliminaſſet: vetuiſſetque in Urbe, & Suburbano intra D. paſſus conſiſtere. expulit poſtremo Senatus Tiberio imperante: exinde tamen tanquam ruptis obicibus in urbem ſuperſtitionum Aſylum nefaria hæc ſacra agmine facto irruperunt. ita ut non ſolum de plebe homines, ſed & Imperatores, veluti Commodus, & Caracalla, & Alexander Severus manus dederint. hinc apud Rufum, & Victorem, Urbis æternæ Topographos, Area Iſidis Ælianæ, Ara, Templa, & Ædiculæ ejuſdem: Iſis patritia, Vicus Iſidis, Iſæum, Iſis Athenodora, Ædes Iſidis: apud recentiores Iſæum Metellianum, Templum Iſidis & Serapidis prope Ovile, cujus videntur meminiſſe Juvenalis, & Appuleius nomine Iſidis Campenſis. hinc Plinij querela, *Harpocratem, ſtatuaſque Ægyptiorum numinum in digitis Viros quoque portare incipere*. laboravit enim ſemper cultus hic infamia quadam peculiari, cujus teſtis erit Auguſtus, qui Apin adorare noluit, quod ſe Deos non Boves adorare diceret. ideoque notat Servius in fine octavi Æneidos ad illud.

Tacit. lib. 2. Annal. *Ælius Lampridius & Spartianus.* *Panvin. in Urbe.* *Iuv. Sat. 6.* *Appul. 11. Metamorph.* *Plinius lib. 33. cap. 3.* *Dio. lib. 51.*

Omnigenumque Deum Monſtra---------

Hæc ſacra ſub Auguſto nondum Romæ recepta fuiſſe. lenocinia, & mollities præter cetera objectabantur, ut de Paullina illuſtri fœmina legimus, quam perditus amator obtentu religionis polluit. quod & actitatum innuit Juvenalis.

Joſeph. lib. 11. Antiq. cap. 47. *Sat. 6.*

---------- jamque expectatur in hortis
Aut apud Iſiacæ potius ſacraria lenæ.

Cap. 12. Et Suetonius Othone, inter alia mollitiei, & effœminati animi ſigna illud refert, *in Lintea religioſaque veſte ſacra Iſidis propalam celebraſſe.* verum non deerant mulierculæ ſuperſtitionibus indulgentes, & viri cupidi rerum novarum, qui ut ait Minucius Felix *non magis Iſidem, quam ceparum acrimonias; nec Sarapidem magis, quam ſtrepitus per pudenda corporis expreſſos extremiſcerent.* hinc religioni ridendæ acceſſit favor. hinc Templa, ſigna Donaria, Gemmæ cælatæ, lapides inſcripti. nec aliunde Tabula hæc noſtra, quam præ manibus habemus. ea Romæ incidit in manus magni Viri PETRI BEMBI Cardinalis, ſeu ex PAULI III. Pontificis Maximi munere, ſeu quod alijs placet ex Orci faucibus, è manibus videlicet Fabri ferrarij, qui illam in Borboniana Urbis direptione comparaverat, precio extorta, nunc in precioſa Pinacotheca Sereniſſimi DUCIS MANTUÆ inter illuſtrium Pictorum monumenta adſervatur. ærea tota eſt, ejuſdem latitudinis cum impreſſo typo, quam ÆNEAS VICUS, induſtrius ille ſculptor viriculo ita aſſecutus eſt, ut non tam ſimile ovum ovo ſit. archetypa nigro veluti encauſto, quod atramento ſcalptor expreſſit, & tenuibus argenti bracteis paſſim obducitur, & ſuperveſtitur, quas inſpectori ob oculos ponere mihi conſilium non fuit, ne in re non admodum facili tempus tereremus. quid enim Lectorem juvet ſi dixe-

(Marginal notes: *In Octavio.* — Tabula Iſiaca ærea eſt.)

dixerimus, nigras illas ſoliorum teſſerulas argenteis interſtinctas eſſe? & paſtorem illum, inter bubula cornua, in media regione, in quo teſtes Oſiridis ceſtro cælator delinearit, argenteum eſſe; cum multa adhuc ſuperſint ejus generis monenda. artificem Tabula non valde doctum ſapit, Ægyptium videlicet, factumve ad Ægyptiorum normam, quorum ſtudium in id magis incumbebat, ut picturas miras exprimerent, quam ut venuſtatem affectarent. gracilitatem corporum excuſavit Pierius, ea ratione, quod innuere vellent DEI naturam ſpiritu, non corpore conſtare. utcumque ſit, ex his imperitis delineationibus non male quorundam ſententia apud Plinium confirmatur, *linearem Picturam Philoclis Ægyptij inventum eſſe*: cum hiſce convenire videatur, quod de infantia Picturæ narrat Ælianus, adeo indocte Pictores tunc temporis penicillum tractaſſe, ut *adſcribere nomina rerum neceſſe haberent*. digna res utique, quam & Thebani pecunia mulctarent. & hinc primum manaſſe cenſeo ego Picturas illas, quas Vitruvius tantopere exagitat, quaſque noſtri in Cryptis Romæ inventas GROTTESCHE appellarunt, & avide arripuerunt. fuit autem Tabula hæc, niſi mea me fallit ſententia, ſacra Romæ Templi alicujus Menſa, quæ ex Macrobio, & Feſto Aræ, & Pulvinaris loco erat, in qua epulæ, ſtipes, & libationes reponebantur, & Sacella præterea Deorum. fuerunt hæ Menſæ quandoque aureæ, vel argenteæ; & quidem inſcriptæ apud Græcos, ut notant Ariſtoteles, & Val. Maximus. ſollemnes Men-

Lib. 49. — *Lib. 35. cap. 3.* — *Lib. 10. de var. hiſt.* — *Ælian. lib. 4. var. hiſtor.* — *Lib. 7. cap. 5.* — *Macrobius lib. 4. Satur. cap. 11. Feſt. Menſæ. Dio. lib. 39.* — *Ariſtot. lib. 2. de re fami. Val. Max. lib. 1. cap. 2.*

Cicero lib. 3. de nat. Deorum.

ſas appellat Cicero. ærea eſt hæc noſtra, ideo forſan, quod æris uſus in ſacris maxime probaretur. cultros enim, ſeceſpitas, ſecures, & pateras æreas pleraſque nos vidimus. & quod magis placet, Plinij teſtimonio *priſci limina ac valvas in Templis ex ære factitaverunt.* qua fortaſſe de cauſa Camillo Sp. Carvilius Quæſtor crimini objecit, quod ærata oſtia haberet in domo. Cortinæ inſuper, Lychnuchi penſiles, & ſigna Deorum in Templis ex ære omnia conſpiciebantur. continet verò ſacra hæc Menſa Iſidis præcipue myſteria, cui in Auctarij vicem adjuncti ſunt Oſiris, Orus, Anubis. Goropius, nimis reconditas origines ſectatus, hæc improbare videtur : at res ipſa loquitur. ideo autem Iſis in præalto Solio Menſæ umbilicum occupat; ipſa enim, ut videtur innuere Diodorus, magis quam Oſiris culta eſt. & hinc factum videtur, ut Iſidi prius, quam Oſiridi initiaretur Appuleius. & fidem facit ſacratorum univerſalis denominatio, quos Iſiacos paſſim appellatos reperias. ut ſileamus Iſidis ſimulachra frequentius, quam Oſiridis promi ſolita, & magis conſpicua fuiſſe. at Melchior Guilandinus (ut tu me per epiſtolam olim peramanter monuiſti Marce Velsere) cenſebat, hanc tabulam vix aliud, quam Ægyptiorum leges pandere. hujus ſententiæ id columen fuit, quod Leges in æs inciderentur. Ego ad eruditum Lectorem provoco, qui religioſe judicabit, an quicquid in æreas Tabulas inciſum eſt, id continuo Lex ſit; me, ut ut alij ſentiant, ne nunc quidem pœnitet, ejus, quam adduxi interpre-

Lib. 34. cap. 3.

Menſa Iſidis quid contineat.

Hierogl. Lib. 7.

Lib. 1.

Plutarchus.

In Commentar. de Papyro.

pretationis; menſam enim Deorum in ædibus ſacris agnovit & Varro, & Delphica illa apud Plinium, Minervæ anathema æris antiqui huc pertinere videtur. *Lib. 4. de L. L. Plin. lib. 7. cap. 15.*

Cap. III.

Placuit mihi ſemper aureum illud, & probum dictum.

Amittit merito proprium qui alienum adpetit.

Gloriari enim alienis bonis perinde eſſe duxi, ac ſe nullius precij hominem fateri. apage Polypi furax, & ſubdolum ingenium, qui non niſi quando aliena non ſuppetunt proprijs flagellis veſci ſolet. me mea paupertas, & nunc, & impoſterum alet, & quidquid è ſcrinijs meis in lucem conſpectumque hominum prodibit, id è penu meo; non ex aliorum compilatis cellarijs prodibit. ſiquid amicorum liberalitas adjecerit (ut factum gaudeo) illaudatum minime relinquam; verbis ſaltem, quando re non licet; magnis eorum in me meritis ſatisfacturus. egregie enim profecto magnus ſcriptor teſtatus eſt, *obnoxij animi, & infelicis ingenij eſſe, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere*; ex quo capite quis non oderit ineptas illas Grammatici hominis voces, jactantis *litteras ſecum natas, ſecum interituras?* Ego quidem omnibus his, qui me juverunt infinitas habeo gratias, quod reconditas, & magno ſumptu *Plinius in præfat. hiſtor. naturalis.* *Sueton. de illuſtribus Gramm. in Remmio Palæmone.*

quæ-

quæſitas copias liberali manu obtulerunt, unde nos, uti è fontibus aquam haurientes,& ad proprium hoc herediolum traducentes, feraciores, & expeditiores habuimus ad diſſerendum facultates; tibi primum MARCE VELSERE Clariſſime vir, & inter præcipua ſeculi ornamenta numerande, qui languentem ſæpenumero commoviſti, jacentem excitaſti, & auctoritate, qua plurimum apud me potes, perviciſti tandem, ut manum de Tabula aliquando tollerem. NICOLAO dein FABRICIO, Chalaſij Domino, natalium ſplendore, & recondita eruditione illuſtri adoleſcenti, qui non modo inſignes Antiquitatis reliquias, quibus inſtructiſſimus eſt, in meum, & ſtudioſorum uſum munifice contulit, ſed etiam aliorum Muſæa ut paterent ſedulo curavit. ejus diligentia factum eſt, ut non modo Venetijs FRIDERICI CONTARENI D. MARCI PROCURATORIS & JOHANNIS MOCENICI Illuſtriſſimorum Virorum præclariſſima, nummorum, & gemmarum κειμήλια mihi in promptu eſſent, ſed & Romæ ornatiſſimi viri LÆLII PASCHALINI κέρας ἀμαλθείας, cur enim hoc nomine non appellem bonæ copiæ divitem theſaurum, de quo nobis Numiſmata, Gemmæ, Sigilla, rara omnia, inſigni humanitate ſuppeditata ſunt? eidem FABRICIO acceptum ferri debet, omne id, quod è NATALITII BENEDICTI precioſis loculis evulgamus. è quibus Auctario noſtro cum robore, & incremento ſpiritus acceſſit. ea enim omnia, quæ ad illuſtrandam


A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
N
O
P

dam Epiphanij, Irenei, & aliorum Patrum hiſtoriam Sectarios antiquos exagitantem attulimus, inde profecta ſunt. His omnibus in ſolidum, ſi non pares, at pro meo tamen ſtubio debitas gratias, meritaſque habebo ſemper, referamque pro viribus: bona Lectorum ſaltem nomina delegando, qui ſcientes per quos profecerint, id æs, quod ego ſolvendo non ſum, bona fide perſolvant. Ingenua hæc & liberalis debiti confeſſio, Viris optimis, qui res magis quam ſpecioſa verba ſpectare conſueverunt, abunde faciet ſatis.

His explicatis ad Tabulam accedamus, quam in tria ſegmenta, & limbum ambientem partiemur. ſectionem primam inchoat (*a*) Oſiris, in quo notanda videtur anſata Crux, & digitis apprehenſa. cujus Crucis uſum, cum Goropius acute pervidiſſet, evertere fruſtra conatus eſt vir Doctiſſimus, in ſuis Libris de Cruce. & hunc ſalutaris ſigni typum, non in obeliſcis tantum, ſed & alibi, ut in antiquo lapide apud Cl. Virum JOH. VINC. PINELLUM exculptum vidimus. fuit autem is ferrei coloris, & craſſitudinis digitalis, quam tenuis candida linea ambiebat. hujus ectypon ad amuſſim expreſſum, alias etiam profuturum, hîc damus.

Tabulæ Iſidis diſtributio.

A

Lipſ. lib. 1. cap. 8. in Notis.

C Cæte-



Lib. 9. hiſt. tripartitæ.

Cæterum hæc illuſtrantur eâ, quæ apud Socratem eſt narratione. *cum enim* (inquit ille) *Sarapidis Templum ſpoliaretur, & in ſacris, uti vocabant, litteris, Crucis figura inventa eſſet, ea res in diſceptationem venit. Chriſtiani enim, quibus Notarum periti adſtipulabantur, Crucem* CHRISTO *adjudicabant. Ethnici verò commune quidpiam* CHRISTO *cum Sarapide eſſe impie contendebant. tutatus eſt cauſam ſuam* DEUS. *plurimi eorum, quos diabolus deceperat,* CHRISTO *nomen dedere, & Trophæum paßionis, Crux triumphalis notatis frontibus refulſit exinde.* Sequitur item (*b*) Oſiris, biſulcum animal quoddam veluti conficiens, caprini fortaſſe generis; capras enim fœminas tradit Ælianus Copti Iſidi in delicijs eſſe; mares autem immolari. Apex ille, ſeu Tutulus, Oſiridis capiti impoſitus, accedit non nihil ad eam Teletarum coronam, cujus meminit Appuleius in hæc verba; *ac ma-* B

Lib. 10. hiſt. an. cap. 23.

XI. Met.

nu

nu dextra gerebam flammis adultam facem, & caput decorè corona cinxerat, palmæ candidæ folijs in modum radiorum proſiſtentibus. conſuerunt enim & hodie Palmæ folia ita plicari, ut calathos, flabella, & alia hujuſmodi utenſilia palmea non ſemel videamus. Et olim apud Ægyptios monachos plectæ, ſeu habenæ ad caniſtra conficienda, Pſiathiaque ſeu tegetes ex eadem parabantur. uſu (ni fallor) invecto ab antiquiſſimis ejuſdem regionis Sacerdotibus, qui ut Cheremon refert, cubilibus ex Palmarum virgultis intextis utebantur. Palmas ipſi voce vernacula BAIS appellabant, quæ vox Horapollini animam ſignificat. ſoleas præterea ex hujus arboris folijs perfectas Iſidi tribuit Appuleius: ut ex his omnibus detur intelligi ſacram arborem fuiſſe, & myſticis rationibus inſignem. *Joh. Caſſia. coll. 18. c. 15. & Ciacconius in Notis. Apud Porphyr. lib. 4. de abſtin. Lib. 1. c. 7.*

C (*c*) Iſidem proxime referri cenſeo ego, cujus veſtimentum jampridem expreſſit Madaurenſis ſcriptor his verbis, quæ ſemel retuliſſe ſufficiet. *Sed Antiſtites ſacrorum, proceres illi qui candido linteamine cinctum pectorale aduſque veſtigia ſtrictim injecti, &c.* niger autem ille Galerus tenuibus argenti notis exornatus ad eas Iſidis veſtes referri poteſt, quas multicolores notavit Plutarchus, ob lucis, tenebrarum diei, noctis, vitæ mortiſque diſcrimina, quæ omnia Iſidem moderari teſtatur. Et quidem in Tabula univerſa nigror hic maxime conſpicitur, argento fere ſemper diſcretus. qua mente Appuleius eidem pertextam diſcolorem, & pallam nigerrimam adſignavit. poſt Iſidem *Lib. XI.*

dem (*d*) Oſiris perpetua fere ſerie ſpectatur, cujus Apicem (ſeu Metam mavis) pinnæ duæ, Accipitris forte vel Ibidis conficiunt: adjecta plana illa rotunditate, & fulcris dextra, lævaque inſurgentium viperarum. Paulò diverſum ſpectamus in Sarda apud NIC. FABRICIUM cujus hic Protypon habes. *D*



Cæterum Iconem hanc præ oculis videtur habuiſſe Heliodorus lib. 6. Αἰθιοπικ. ἱστορ. ſcribens καὶ νυνὶ ἥκω ὄρνιν τινὰ τοῦτον ὡς ὁρᾷς νειλῷον φοινικόπτερον, τῆς φιλτάτης ἐπίταγμα κομίζων. Ex quo præter cætera diſcimus Phœnicopterum Iſidi in delicijs fuiſſe. neque officit alarum nigredo religionis gratia (ut ego cenſeo) nullibi non affectata. Goropius tamen Stymphalidem avem eſſe cenſet, quam Hercules oſtentet: recte ne an ſecus aliorum eſto arbitrium. Phœnicopteri meminerunt Plinius, Martialis, Juvenalis.

Lib. 5. Hierogl.

Lib. 10. c. 48. In Xenijs. Sat. 11.

Et Scythicæ volucres, & Phœnicopterus ingens.

Ad Juvenalem porro notat antiquus interpres; avem eſſe, quæ habeat pinnas colore Phœnicio, & roſtrum incurvum & prolixum: in aquis degere, in Africa abundare. haſce omnes inſigniores notas referebat

bat Phœnicopteri ad vivum expreſſum exemplar, quod vir magnus ULYSSES ALDROVANDUS ad FABRICIUM tranſmiſit, gerit autem Oſiris haſtam ſibi cum Libero Patre communem, de qua ita Macrobius; colitur etiam apud Lacedæmonios ſimulachrum Liberi Patris haſta inſigne, non Thirſo. ſed cum thyrſum tenet, quid aliud quam latens telum geritur, cujus mucro hedera lambente protegitur? at Oſirin Bacchum eſſe & paulo infra oſtendemus, & ante nos probavit Plutarchus in Iſide, & Oſiride. qua ratione Antonius apud Dionem ὄσιρις καὶ Διονύσιος appellabatur. quod nec Auſonium latuit, canentem de ſigno Liberi Patris.

Lib. 1. Sat. cap. 19.

Lib. 50.

In Myobarbo.

Ogygia me Bacchum vocat,
Oſirin Ægyptus putat.

E Hunc ab Iſide diſcriminat (*e*) Cercopithecus ille ſacer, cujus præter Juvenalem meminere Lucianus in Concione Deorum, Prudentius in Romano martyre, & adverſus Symmachum.

Sat. 15. Legendus præterea Socrates hiſt. trip. lib. 9. cap. 27.

Iſis enim & Serapis & grandi Simia cauda, &c.

Ornatur autum Iſiacis ſymbolis, Lunaribus cornibus, orbe patulo, & aſpide. ſtat ſupra Thmuis (*f*), F hircus videlicet Mendeſius Pani ſacer, quem Ægyptij Mendeten vocabant. teſtatur inſuper Lucianus Pana apud Ægyptios coli ὅλον τράγον. cujus myſterij ea videtur afferri poſſe ratio, quod Panis natalia inſignire vellent. Pan etenim Penelopes filius dicitur, quam

Non. ad 11. invect. Greg. Naz. in Iulian.

Herodotus lib. 2.

De ſacrificijs.

Virgil. Ecl. 2. Mercurius (ut eſt in fabulis) ſub hirci imagine com-
Lib. 2. preſſit. ita Herodotus, Iun. Phylargyrus, Probus, &
Serm. 7. Theodoretus, ut hinc natum appareat id quod Antiquitas exiſtimavit hircum in Mercurij tutela fuiſſe, ut in antiqua gemma.



Lucianus in bis accuſato. Ideoque Pani τράγον ἔνορχιν Athenienſes mactabant. notandem verò eſt, apud Mendeſios honorem Capra-
Geneſ. c.46. rijs habitum, cum tamen Ægyptij Paſtores ovium de-
Appul. in Apologia. teſtarentur. Oderant quippe lanam etiam, veluti ſe-
Herodot. gniſſimi corporis excrementum, quam veſtitu Sacer-
Coge Ægyptium ut ovium lacte veſcatur. dotum, & cadaverum humatione penitus ablegarant. at quid cognationis Pani cum Iſide? Antiqui Theo-
Hieron. lib. 2. cont. Iovi-vian. logi, quos Mythologos rectius appellaveris, inter quos
Apud Theodoret. ſer. 3. Manethon, & Diodorus Iſidem nihil aliud eſſe quam Lunam interpretati ſunt; quam pulchellus amator montivagus Pan lanæ vellere (ſi Poëtis credimus)
Diodorus loco cit. in ſui amorem pellexit, ſed in gratiam Ægyptiorum, qui fabellas hujuſmodi aſpernabantur, magis eſt, ut dicamus, Pana in comitatu Oſiridis fuiſſe, ut prodit
Lib. 1. Strategem. Diodorus. & quidem is Διονύσου στρατηγὸς fuit ex Poliæno, à quo Panici terrores & cornutæ acies. at Dio-
Diodorus. Tibullus lib. 1. ecl. 7. Plutarchus. nyſium eundem cum Oſiride fuiſſe facile probabitur; Herodotus enim ſcribit Oſirin Bacchum eſſe ex Ægypto-

gyptiorum ſententia. præterea utrique myſtica Vitis, utrique Hedera ab antiquis tribuitur : uterque Niſæ altus, utriuſque comites Chorus & Cantus, Satyri & Panes. Serpens ipſa, ſine qua Oſiridem in Tabula nuſquam videas, fuit Bacchi cinctus,& Baſſaridum corona, niſi dicere lubeat cum Diodoro Pana, & Oſiridem
G eundem Deum eſſe. Cercopitheco adſtat Iſis (*g*) Nebride induta in Baſſaridum morem, præfert Modium Sarapidis inſigne ut ex antiquis nummis, & Euſebio elicitur. Sarapin verò ΔΙΑ Græci, Latini Jovem nuncupant, inquit Achilles Statius. imo Æſculapium multi, quidam Oſirin, plerique Jovem, plurimi Ditem Patrem fuiſſe conjectant. jam verò quia Iſis vel Terra eſt (inquit Macrobius) vel natura rerum ſubjacens, ſoli ideo Iſidi Modium veluti frugum parenti adſignarunt. ſcribit enim Diodorus in Iſidis pompa alicubi triticum, & Hordeum præferri, ut ab ipſa repertas fruges teſtarentur. & hinc factum eſt, ut à quibuſdam dictum ſit, Cererem nihil aliud eſſe, quam Iſin. quo ſenſu Cererem Fariam dixit in *Apologetico* Tertullianus, ut recte monuit interiorum litte-
H rarum decus J. LIPSIUS. (*h*) Oſiridis ſubſequentis caput ornat ſacra Serpens in Tabula ita frequens, ut in mentem veniat mirari hominum ſtoliditatem, qui à DEO Opt. Max. ita aberrarent, ut ſordidum hoc animal venerarentur. neque verò Ægyptij tantum huic dementiæ affines. Indi enim, Phœnices, Arabes, Babylonij, Pœni, Bœotij, Epirotæ, Sicyoni,

Clemens in Protrept. Athenæus lib. 5. in de ſcript. Pompæ Ptolemæi Philadelphi. Lib. 2. hiſtor. eccl. lib. 5. Cornel. Tac. extremo. lib. 4. hiſt.

Lib. 1.

Lib. 1. de Cruce cap. 5. Max. Tyrius. ſer. 28. Taautus apud Euſebium. Pauſanias Bœotia. Daniel c. 14. Sil. Ital. lib. 6. Stat. Theb. lib. 5. Ælianus lib. 11. hiſt. anim. c. 2. Pauſan. Corinth. Val. Max. lib. 1. cap. 9. Ovid. 15. Metamorph.

Rabanus Maur. de inſtit. Cleric. lib. 2. Ludovicus Barthema in Itinerario.

ni, Epidaurij, Romani, è noſtris hæretici quidam, & novi Orbis incolæ huic inſaniæ manus dedere. tanto ſtudio Diabolus triumphati hominis ſymbolum, ut aſſereret laboravit: credo, ut eam jacturam reſarciret, quam olim fecerat, cum ſerpentem DEUS inter omnia animantia, & beſtias terræ maledictum eſſe juſſerat, nec defuerunt qui ſerpentis divinitatem litterarum monumentis conſignarent, veluti *Taautus* ex Phœnicum placitis, & agmina Poëtarum, quorum licentia in hoc (ut cum Poëta dicam) exijt in immenſum. Oſiridis femoralia in conum deſinentia, ſubindicant, latere ibi, ut ego quidem ſentio, arrectum penem, qualem Oſiridi tribuit Plutarchus; qua ſpecie Romæ quoque Priapum expreſſum videmus, eo nimirum conſilio, ut ſignificaretur occultam, & latentem eſſe in Natura gignendi vim: imo quod miretur quiſpiam, in *Benavidiorum* Muſæo apud nos extat muliebre marmoreum ſignum, antiqui operis, ſub cujus tunica neſcio quid ejuſdem argumenti videtur latitare.

Apud Euſeb. lib. 1. de præp. Evang. c. ult.

Ad



Ad quam regulam directum videtur Ægyptiorum dogma: Lunæ videlicet naturam permixtam, & androgynam tribuentium, quo cjus vim genitalem aſſequerentur. à quo fonte manavit Carrenorum ſuperſtitio, qui Spartiani teſtimonio Lunum Deum venerabantur. unde quamvis Græci (inquit ille) vel Ægyptij, eo genere, quo fœminam hominem, etiam Lunam Deum dicant, myſtice tamen Deum

Plutarch. de Iſid. & Oſir.

In Caracalla. Vide & Ammian. lib. 23.

D dicunt,

In 11. Æneid. dicunt. ad quæ intelligenda plurimum conferent Ser-
Lib. 3. Satur. cap. 8. vius, & Macrobius. At Serpentem (*i*) Iſidis capiti *I*
impoſitam quo nomine appellabimus; Joannes Leo Afer, qui Ægyptum hominibus etiam ocioſis calamo perviam fecit, narrat apud montem, cui Atlanti nomen eſt, reptare tarde Dracones quoſdam alvo craſſiſſima, cauda capiteque exilibus. alvum hic agnoſco, cetera non item. ego Aſpida fœminam eſſe cenſeo,
Cap. 30. cujus alvum tumidiorem eſſe teſtatur Solinus; interpolatam tamen, & ornatu quodam ſacro Myſtarum opera ſuffarcinatam, ut pleraque omnia in hac Men-
Ælian. lib. 6. de hiſt. an. cap. 38. ſa. *Aſpides in diadematibus pictas Ægyptij Reges cir-*
Lib. 10. c. 32. *cumferebant.* earum nomen apud Ægyptios, qui ſacras eſſe cenſebant, Thermutis fuit. his coronabant Iſidis ſimulachra, eamque in ſceleratos Aſpidem im-
Lib. 17. c. 5. mittere fabulabantur. cum ijſdem eam familiaritatem
Joſeph l. 2. contra Apion. contraxerant, ut cum infantibus educarent, & convivio adhiberent. felices & divinos reputabant, quos
Lib. 9. Metam. illæ momordiſſent, huc referre poſſumus Ovidij carmen, de Iſidis comitatu loquentis.

Plenaque ſomniferis ſerpens peregrina venenis.

Falluntur enim qui de Crocodilo dictum interpretantur. ſomniferis venenis plenam rite appellavit
Lib. 9. ut & Lucanus.

Aſpida ſomniferam tumida cervice levavit.

Quia miles apud eundem Aſpide ictus.

——————ſubita caligine mortem
Accipit, & Stygias ſomno deſcendit ad umbras.

Pere-

Peregrinam interpretari poſſumus Niliacam. Lu- *Lib. 9.*
canus de eadem.

--------- Niloque tenus metitur arenas.

&

At tibi Læve miſer fixus præcordia preſſit
Niliaca ſerpente cruor : -----------

Ammianus Marcellinus, ſerpentes quoque Ægy- *Lib. 22.*
ptus alit innumeras ultra omnem perniciem ſævientes, Baſiliſcos & Amphisbænas & Scytalas & Acontias, Dipſadas & Viperas, aliaſque complures, quas omnes magnitudine & decore Aſpis facile ſupereminens, nunquam ſponte ſua fluenta egreditur Nili.

Pigram vocavit Ovidius. *Lib. 2. Amor. eleg. 13.*

Pigraque labatur circum donaria ſerpens.

Et prope ſimulachrum Iſidis argenteam ſtatui
conſueviſſe docet Juvenalis. *Sat. 6.*

Et moviſſe caput viſa eſt argentea ſerpens.

Accedit Appulejus, qui in Pompa Iſidis *Aſpidem* *Lib. 11. Met.*
recenſet *ſquamæ cervicis ſtriato tumore ſublimem.* Val.
denique Flaccus, ne ullus hæſitationi locus relinqua- *Lib. 4. Argon.*
tur, de Iſide canit.

------------ Et procul Io
Spectat ab arce Poli jam Divis addita, jamque
Aſpide cincta comas, & ovanti perſona Siſtro.

Addatur corollarij vice, quod inſaniam redoleat,

Epiph. lib. 1. adv. hær.

in quaternos Templorum angulos fuiſſe in more poſitum, ut aſpides fictilibus concluſæ injicerentur. neque omnino male Serpenti huic noſtræ Accipitris caput impoſitum fuit. Epies enim μέγιϛος ἱεροφάντης καὶ ἱερογραμματεὺς ita ſcribit τὸ πρῶτον ὂν θειότατον ὄφις ἐϛὶν ἱερακὸν ἔχων μορφήν. imo Ægyptij mundum deſcribentes inter cætera ὄφιν ἱερακόμορφον appingebant. Iſis adhæc manu prætendit Abſinthium marinum, Seriphiumve, quod & Plinius & Dioſcorides ab Iſiacis præferri conſueviſſe teſtantur. naſcitur id in Taph Oſiri Ægypti, ideo non mirum ſi Iſis præferat in mariti memoriam. ita conjicio ego, præjudicio non obfuturus, ſiquis meliora in medium attulerit.

Apud Euſeb. lib. 1. de præp. Evang. Cap. ultimo Euſeb. loco cit.

Lib. 27. c. 7. lib. 3. c. 25.

In (*k*) Oſiridis icone ſubſequente id unum a- K
nimadverſione dignum videtur, ſacrum ſceptrum Cuculphæ avis capite ornatum, cui aut ob pietatem in parentes id honoris Ægyptij habuerunt. hanc primus, quod ego ſciam, Cælius Calcagninus, qui Horapollinem latinum fecit & commentario illuſtravit, Ciconiam interpretatus eſt. non rectè ni fallor; obſtat enim & figura & vox. PIERIUS Cicumam appellat, è Ciconiarum ut ipſe inquit genere; quod omnino mirum viſum eſt, cum cicuma Feſto & Iſidoro Noctua ſit. apud eundem Regium Sceptrum delineatum eſt, quod ipſe contra rei præſentis, atque ante oculos propoſitæ fidem, refert extare in ahenea BEMBI Tabula. non videtur autem in hoc peccaſſe Vir doctiſſimus, qui Tabulam non ſemel viderat: ſed pictores potius, ad quorum notitiam ea non pervenerat.

Horapollo lib. 1.

Epiſtolicar. quæſt. lib. 2. ep. 1.

Lib. 16. Hierogl.

rat. Cucupham ego Upupam interpretor, quam & figura & Plinius exprimunt; criſta nimirum viſendam plicatili, quam contrahit, ſubrigitque per longitudinem capitis. accedit Ælianus, qui Upupas cenſeri ſcribit apud Ægyptios, *quod in parentes piæ ſint.* & alibi tradit idem ſcriptor, Upupam Indorum Regi eadem ratione in delicijs eſſe: ibidemque recitat fabellam Brachmanibus familiarem, quæ pietatem in parentes commendet. vox poſtremo κȣκȣ́φα ab Upupa non abit, quæ videtur irrepſiſſe in egregium Auctorem, manus violentas non ſemel paſſum, quem conciſum eſſe, & mutilum cum liqueat, nemo ſanus integrum præſtare audebit. & ſane videtur vox latinogræca, ne barbaram dicamus, quales uſus, & mala illuvies infelicium ſæculorum invexit. Suidas enim, quo uno niti videntur Ciconiæ adſertores, huc non reſpexit. GORODIUS Alaudam, ſeu Galeritam eſſe cenſet, non omnino male, cum ex Ariſtophane pateat, Indorum narratiunculam Galeritæ à Græcis adtributam fuiſſe. Pone Oſiridem

Lib.10.c.29. *Lib.10.de hiſt. an. c.17. lib.26.c.5.* *In ἀντιπελαργεῖν.* *Lib.8. Hierogl.* *In Avibus.*

L (*l*) Gryps eſt, Soli, ideſt Oſiridi ſacer, quem Indorum pictores Solis quadrigis jungebant; ut hinc detur intelligi, cur in Gallieni nummo hujuſmodi animal inſcriptum ſit APOLLINI AUG. & quidem Appulejus ſtolam Olympiacam Sacratorum deſcribens, ait: *hinc Dracones Indici, inde Gryphes Hyperborei, quos in ſpeciem pinnatæ alitis generat mundus alter.* hic tamen auritus non eſt, ut delineant Plinius, & denarius Papiæ Gentis. accedit autem magis

Philoſtratus lib.3. de vita Apollon. *Poëtæ etiam, uti Sidonius panegyr. in Anthemium ut in Burgo Pontij Leontij.* *Lib.10. cap.49.*

Lib. 4. c. 26.

gis ad Cteſiæ narrationem, qui apud Ælianum ſcripſit *Aquilino ore eſſe, & capite.* hæc omnia cum hæſitatione dicta ſunto. quid enim prohibet Monſtrum hoc in numero Sphingum reponi?

Lib. 2. D. Greg. invect. 11. Diodorus, Sic. lib. 1. Pauſan. Eliacor. poſter. Diodor. Sic. lib. 1. Ovid. lib. 1. Metamorph. Ælian. lib. 2. var. hiſt.

(*m*) Iſin cornibus exornabant Ægyptij, ut Herodotus, & Nonnus præter ceteros, teſtantur. an propter aſpectum recentis Lunæ, qua ratione ſignum Lunæ cornutum apud Eleos videtur extitiſſe? an reſpectu Bovis, qui ipſi mactabatur? an quia fruges inveniſſet, & ſine bobus vix aut difficile conſtaret agrorum cultura? an verò quod Inachi filia eſſet, quem Taurinis cornibus inſtructum, ut fluviorum pleroſque, coluerit ántiquitas? qualem Acheloum effingebant Acarnanes. *M*



De præp. Eu. lib. 1. cap. ult. Lib. 1. part. 2. cap. 2. Val. Max. lib. 5. cap. 6. Iul. Capitolinus. Plutarchus. Exod. 34.

An quod id eſſet Regium inſigne, ut de Aſtarte ſua produnt Phœnicum Theologi apud Euſebium? quod & apud Ægyptios Reges, referente Diodoro, uſu receptum eſt. quo ſpectant cornua enata in capite Genucio Cipo Prætori, & omen de Tauro cornibus ſuſpenſo, Antonino Pio factum antequam imperaret. neque ineptum erit arbitrari alluſum ad Galeam, quam è Bovis capite fabrefactam Iſidis capiti Mercurius impoſuit, vel poſtremo eos Moyſem ſanctiſſimum

virum

virum æmulari voluiſſe, qui à congreſſu Domini DEI Exercituum faciem cornutam referebat. fuit enim ſemper Diabolus divinorum operum uſque ad impoſturam æmulator, ut olim Sanctiſſimus vir JUSTINUS Martyr, & noſtro ſæculo CÆSAR BARONIUS Cardinalis, cui Chriſtiana res æternum debebit, luculentiſſime probaverunt. neque enim abhorruit Ægyptus à Judæorum inſtitutis; inde namque videtur effluxiſſe, & circumciſio, & ovium arborumque, Circunlitio, quam ab Hebræis Agni ſanguine poſtes illinentibus arripuerunt. Stellam, qua Iſidis cornua diſtinguuntur Σῶθιν Ægyptij, Αʼςρόκυων Græci nuncupaverunt ut docet Horapollon. Latini Luciferum & Veſperum, alij aliter. Plinius: jam magnitudine extra cuncta alia ſidera eſt: claritatis quidem tantæ, ut unius hujus ſtellæ radijs umbræ reddantur. itaque, & in magno nominum ambitu eſt. alij enim Junonis, & alij Iſidis, alij Matris Deum appellavere. Hyginus maximam vocat, ut non ab re talem in Tabula toties conſpiciamus. reliquæ ſunt hujus primæ Regionis poſtremæ tres imagines, quarum prior, (*n*) Oſiridis nimirum, læva manu Modiolum exhibet, præclarum illum Sarapidis Tutulum, de quo paulo ſupra verba fecimus, quemque præ oculis habuiſſe videtur Lucianus, ille hominum Deûmque conviciator, quando ſcripſit ποτήϱιον Ægyptiorum quibuſdam Deum eſſe. penultimi ſigni inſigne geſtamen ſunt Oſiridis (*o*) teſtes (quod nemo non rideat) oculati. licet enim oculus hic non ita exacte appareat,

in

In colloquio cum Triphone.

Annal. to. 1. quibus adde Ananiam. de Nat. Demo. lib. 2. & Vairum de Faſcino lib. 2. cap. 1.

Herod. lib. 2.

Epiph. adv. hær. lib. 1.

Lib. 1. cap. 3.


Lib. 2. cap. 5.

In poët. Aſtronom.

De ſacrificijs.

N *O* (margin letters)

in gemma tamen, quam Molochiten vocant apud Nic. Fabricium liquido conſpicitur.



Lib. 1. Satur. cap. 21.
Euſ. ex Diodoro, lib. 1. præp. Eu. c. 6.
ib. 1. cap. 2.
lutarchus.
Arnob. lib. 5. dv. Gent.
Ierod. lib. 2,
Ad 1. Inectiv.
azianz. ib 5.
In orat. Gregor. in ſancta Lumina.
in Poët. aſtr.
Theodoret. ſer. 8.
Clem. Alex. in protrept.
heodoret. erm. 1. & 3.
Plut. Suid. in σημὸς.
Athenæus lib. 24.
Arnob. lib. 5. adv. gent.
Diodor. Sic. l. 1. par. 2. c. 4.
Petron. Arb.


Ut minus mirum ſit, quod ſcripſit Macrobius, Ægyptios ut Oſirin, qui Diodoro, Plutarcho, & Euſebio multioculum ſignificat, exprimerent, ſpeciem oculi delineaſſe. teſtes verò ſacravit Iſis, quæ cum Oſiridis, à fratre Typhone interempti, reliquias anxie conquireret, ejuſdem pudendorum imaginem divino cultu honeſtavit, ut inquit Diodorus. alij tradunt Pamylen quandam hoc inſtituiſſe, & Pamylia feſta appellaſſe. hinc, veluti è perenni ſuperſtitionum fonte, manarunt apud Græcos Dionyſia Ithyphallica, non ſacra, ſed ſcelera, quibus, inquit Arnobius, in Liberi honorem Patris Ithyphallos ſubrigit Græcia, & ſimulacris virilium faſcinorum territoria cuncta floreſcunt. erant autem ficulnei, quia ficus inventor Bacchus, ſeu coriacei, è collo pendentes, ut narrant Herodotus, & Nonnus. aureus enim ille CXX. cubitorum, cujus meminit Athenæus extra ordinem fuit. Turpium initiorum originem cum inſectatione referunt præter Arnobium, & Nonnum, Nicetas, & Hyginus. hinc Phallagogia; Phallophoria, Ithyphalli, & Phallophori. hinc Veneris Cypriæ abſtruſæ illæ initiationes, quarum participes pro

ſtipe


S
Q
Q
T
V
X
Y
Z
AA
BB
CC
DD
EE
FF
FF
GG
HH

ſtipe collata phallis donabantur. hinc Satyrorum, Faunorum, Silvanorum ἀποθέωσις. neque aliunde effluxerunt propudioſa illa Priapi ſecreta, quæ traducere nefas fuit. hinc Mercurij faſcinus, à Cyllenijs cultus, Athenienſium religione ſacer. hinc Neuroſpaſta apud Lucianum, & remedium, præbiave in collo pueris, res turpicula, Faſcinus videlicet, quem *infantium cuſtodem* appellat Plinius. hujus amuleti ſpeciem ex ære, lapide lazuli, corallio, & cryſtallo hîc damus in gratiam eruditi lectoris.

Pauſanias Eliacor. poſter.
Herod. lib. 1. & Lucian. de Syria Dea.
Varro lib. 6. de L. L.
Plin. lib. 28. cap. 4.



P Claudit agmen (*p*) Iſis cum Sacro ſceptro, cujus προτίμησις eſt loti flos, Solis amator, perinde ac mariti Iſis. quem florem non modo Ægyptij, ſed & Baſilidiani magnifecerunt, in quorum portentoſis amuletis cernitur cum inſidente Sigalione.

Plin. lib. 13. c. 17. & 18.
Hæc Deo volente in Auctario dabimus.

Q Intermediæ regionis primas obtinent bina (*q*) Iſidis ſimulachra, cum ſubligaculo, cætera inveſtia, penſili, & prominente mamma, quod factum videtur eo, quia Iſis τιθὴ & πανδεχὴς ex Platone apud Plutarchum crederetur. imo Macrobius ſcribit, continuatis uberibus Deæ (Telluris an Iſidis intelligas parum refert) corpus omne cenſeri. & audio extare hujuſ-

Explicatio intermediæ ſectionis Menſæ Iſiacæ.
Plutarch. de Iſide & Oſiride.
Macrob. lib. 1. cap. 20.

E modi

modi ſigna Romæ, quæ ego Iſidis eſſe exiſtimo, ciſtam ſecretorum capacem capite geſtantis. juvat vetus numiſma Hadriani Imperatoris in quo Iſis puellum Orum uberibus exertis admovet.



Et hinc ſuſpicari licet effluxiſſe cognomen Cereris mammoſæ apud Lucretium, & almæ apud Virgilium: cum Ceres eadem cum Iſide fuerit, ut vel ex eo patet quod apud Hermionenſes in fano Sarapidis, & Iſidis arcana Cereris ſtata, & ſollemnia erant. ex hac indiſcreta numinum ratione Ἄρτεμις quoque Ἐφεσίων multimammia in eorundem nummis conſpicitur. Minucius Felix. *& Epheſia mammis multis, & uberibus extructa.* Ceres enim, & Luna (ſeu Dianam mavis) eædem ſunt ex ſententia maximi Poëtarum.

Lib. 4. — *Pauſan. Corinthiac.* — *Octavio.* — *Lib. 1. Georg.*

------ vos ô clariſſima Mundi
Lumina, labentem Cœlo quæ ducitis annum,
Liber, & alma Ceres ------

Non indocti apud vos viri (inquit Arnobius) *neque quod induxerit libido garrientes, Dianam, Cererem, Lunam caput eſſe unius Dei triviali germanitate pronun-*

Lib. 3. adverſ. Gent.

nunciant. in hac hæreſi fuit Marcianus Capella, qui in Lunæ globo ſiſtra Niliaca, Eleuſiniam Lampada, arcus Dictynnæ, Tympana Cybeles collocavit. Superſtat (*r*) Apis, imago Tauri Cæleſtis, Lunæ & Iſidi ſacer, & ideo in comitatu Iſidis recenſetur ab Ovidio & Appulejo. ut autem ipſi auguſtiores natales affingerent, ex vacca fulgure afflata conceptum fabulabantur; feſto etiam ſeptem dierum inſtituto, quo manente Crocodili ingenitam feritatem exuebant. & numerus ſeptenarius huic genti ſacer fuiſſe videtur in feſtis diebus. Juvenalis enim ita de Ægyptiorum privilegijs.

Pervigilique thoro, quem nocte ac luce jacentem
Septimus interdum ſol invenit -----

Si cauſam quæras, religioni aptiſſimus viſus eſt, magni etiam Pythagoræ inſtituto, ab Ægyptijs forſan Sacerdotibus, ut alia multa in ea ſecta, promanante. compertum Apin Memphin deducebant: ideo Lucianus & Clemens Alexandrinus à Memphitanis cultum Apidem teſtantur. Memphi præterea initiabatur. Solinus; quem repertum centum Antiſtites Memphin proſequuntur; ut incipiat ſacris ibi initiatus ſacer fieri. eadem habet Marcellinus, qui addit in Thalamum induci ſolitum. qui eum conſecrabat, de more rituque priſcæ religionis diadema geſtabat: & Memphi Regis Ægyptij primum ſacris initiabantur, & in Regni ſolio collocabantur. excipiebatur autem Apis hilaritate ſumma,

R *Lucianus de Aſtrol. Theodoretus ſerm. 3. Ælianus lib. 11. de hiſtor. an. cap. 10. Luctat. Placid. III. Theb. Ovid. 9. Met. & 24. Amor. Appul. 11. Met. Pomp. Mela. lib. 1. cap. 5. Plin. lib. 8. cap. 46. Solinus cap. 35. Ammianus Marcellinus lib. 22.*

Sat. 15.

Appuleius lib. 11.

Diodor. lib. 1. par. 2. cap. 4. De ſacrificijs. In Protrept. Sidonius ad Magnum Fel. Coſ. Non Apin Mareoticum ſonabo. Ad Memphitica ſiſtra concitari. Suet. Tit. Commentator Germanici Cæſ.

Lib. 3. *Lib. 11. c. 10.* ma, ut referunt Herodotus, & Ælianus, quandoque turbis popularibus; apud quos deberet locari (inquit *In Hadriano.* Spartianus) omnibus ſtudioſe certantibus: ejuſdem afflatu, ſi credere dignum eſt, concitati puerorum *Plin. Solinus Ælianus* greges futura præcinebant, quos προφήτας videtur *Lucian. in Deor. concil.* appellare Lucianus. Delubra eidem gemina; ſeu *Plin. l. 8. c. 46.* Thalamos adſignat Plinius, Aulam Herodotus, Pſam- *Herod. lib. 2.* mitichi opus, in qua vice columnarum ſtabant coloſſi duodenum cubitorum. vide Strabonem *lib.* 17. *Plinius, & Solinus.* ubi Memphin, & Apidis Templum enarrat. *eundem ſtato die, ultra quem vivere fas non erat, aquis mergebant*, idque ex auctoritate librorum myſticorum, ut *Plutarchus. Pauſ. Attic.* ait Ammianus. Memphi ſepeliebant: & peracta ſepultura, tum demum Sacerdotibus in Sarapidis Tem- *Tibul. lib. 1. El. 7.* plum ingredi licebat. demerſum ſerio ipſi ridendi lu- *Lucian. de ſacrif. & de Syr. Dea.* gebant. in luctu cæſariem attondebant. alterius repertu ceſſabat luctus. cæterum quod ad nos attinet, Apidis notæ inveſtigandæ ſunt, in quibus deſcriben- *Lib. 9. Met.* dis auctores ita variant, ut recte cecinerit Ovidius.

———— variiſque coloribus Apis.

In concil. Deor. lib. 3. Nec male Lucianus variegatum, ſeu diſcolorem appellarit. Herodotus namque has Api adſcribit notas; ut ſit toto corpore niger, ut in fronte candorem quadratum, in tergo effigiem Aquilæ, in lingua Can- *Lib. 17.* tharum, duplices in cauda pilos habeat. Strabo nigrorem corporis albedine quadam in fronte, & alibi interſtinctum in litteras retulit. Plinius in dextro latere

tere candicantem maculam, & nodum Cantharum ſive ſcarabæum ſub lingua aſſignat. Solinus notæ albæ maculam tribuit. Pomponius Mela nigrum, & cauda linguaque diſſimilem aliorum refert. Ammianus Marcellinus, & Ælianus corniculantis Lunæ congenitam ſpeciem notant. à quibus omnibus abit ut plurimum Apis in Tabula expreſſus. dicendum ergo, aut non fuiſſe Notas eaſdem perpetuo, quod nemo ſanus negabit. qui enim poterant ea ludentis Naturæ ſtigmata, nulla intercedente cognatione ſeminis, eadem ad unguem prodire ſemper? ex intervallo temporum præſertim. quod enim ſcribit Plinius, non unquam diu quæri, improbatur teſtimonio Herodoti, Spartiani, & Marcellini, & ex eo præterea, quod Darius commentus eſt, ut à ſe deficientium Ægyptiorum gratiam iniret, præmio videlicet talentorum centum ei propoſito, qui Apin adduxiſſet. aut dicemus cum Æliano, minime Ægyptijs probatam fuiſſe narrationem Herodoti, & aliorum: ipſi enim multo plures Notas, eaſque diverſas recenſebant. quare conſulto videntur feciſſe Pomponius Mela, & Ammianus; quorum alter Apin certis maculis inſignem, alter diverſis genitalium notarum figuris expreſſum appellat. conveniunt tamen omnes, Herodoto excepto, in Lunæ recentis notam dextro lateri ingenitam, quam & in menſa agnoſcimus, & in æreo nummo Hardriani Imperatoris ſe vidiſſe alij teſtati ſunt. animadvertit autem Achilles Statius, quod ad rem noſtram facit. *Niloticis bobus cornua temporibus*

Polian. Strateg. lib. 7.

Sebaſtianus Erizius de Nomiſm. Lib. 2.

 alte

alte conſurgentia ita curvari, ut ſummæ illorum partes coire videantur, & plenæ Lunæ ambitum exprimere.

Lib.4.c.10. notavit autem Lactantius Firmianus, Hebræos olim ad profanos Ægyptiorum ritus converſos, Apin co-
Exod.c.32. luiſſe; quando nimirum longioris moræ, quam Moyſes cum DEO fecerat impatientes, vitulum conflatilem cultus cauſa erexerunt. hujus farinæ fue-
3.Reg.c.12. runt vituli aurei, quos Jeroboam in Bethel, & Dan conſtituit. conſuevit enim populus ille duræ cervicis, abominationes vicinorum in DEI viventis contumeliam impendio colere, ideo adſciti atque accerſiti ab exteris nationibus Reemphaam Chaldæo-
Act. Apoſt. c.7. rum, Sidoniorum Baal, & Aſtaroth, Phœnicum Da-
3.Reg.c.11. & 17. gon, Moabitarum, & Ammonitarum Camos, &
Judic.c.10. Moloch ſive Melchon. ex eadem ſchola prodierunt
4. Reg. c.23. & 21. lib.4. c.18. & 19. Aruſpices, Effeminati, Galli, Fanatici, Conjectores, Excelſa, Luci, & reliqua Gentium nugamenta. neque vicinos tantum Hebræos, ſed & longe diſſitos Cocinenſes, & Malabares videtur invaſiſſe mala hæc
Rer. Indicar. Auctores à Ramnuſio editi to. 1. lues, Deos ſibi ex armentis Boves ſeligendi; niſi fallunt rerum Indicarum ſcriptores frequentes, & fidei non improbatæ. adſtant Apidi ſacerdotes, (ſ) Pro- S
De ſacrific. & in Philo-pſeud. phetæ videlicet, ſive ſcribæ; mento etiam raſo, ut
Lib.1.cap.2. eos perſtringit Lucianus, ſacras ejuſdem Notas velut
De Iſide, & Oſiride. perveſtigaturi. Neque vero Iſidi tantum, ſed &
Lib.1.Saturn.cap.21. Oſiridi, Oro, & Apollini ſacer fuit Apis, Diodoro,
Ælianus lib. 11. de hiſt. an. c.10. Plutarcho, Macrobio, & Æliano aſſerentibus. Euſebius etiam ex Porphyrio nigredinem & Cantha-
Lib.7. de præp. Evang, cap. 3. rum ad Solem trahit. appoſite ſinguli. teſtatur ſiqui-

dem

dem Appuleius, connexam, imo vero unicam rationem numinis, religioniſque (in Iſide, & Oſiride) eſſe.

T De (*t*) Iſide, cujus prope cernimus cornigerum ſimulachrum, nihil habeo quod dicam, eximium aliquantiſper aut ſingulare. niſi forte ad rem putet aliquis pertinere capillitium ſatis prolixum, & excultum, quod Memphitæ oſtentare ſolebant, à quo & frutici lapideſcenti nigro, & Coralium imitato nomen inditum: quod forſan Iſis eâ licentiâ, quâ cetera, Abſinthio congenitum in ſuperiori ſegmento manu præfert. hoſce comæ honores æmulata Berenice, longe meliori invento cæſariem cælo inferri paſſa eſt, quam Callimachus, & Catullus inſignes Poëtæ carmine magis, quam radio Conon illuſtrarunt.

Lucian. adverſ. indoctum.
Plin. lib. 13. cap. ult.
Sub. lit. I.

V Avis (*v*) illa muliebri facie, vel erit Siren, qualem delineant nummi veteres Valeriæ Gentis, apte ad Ovidij Metamorphoſin, lib. 5.

Apud F. Urſinum.

——— vobis, Acheloides, unde
Pluma pedeſque Avium, cum Virginis ora geratis?

Sirenes autem Proſerpinæ comites fuerunt, quam cum Iſide eandem monſtrare, Plutarcho præſertim aſſerente, quiſpiam non magno negotio poſſit. interceſſit præterea inter Iſidem, & Sirenes cognatio aliqua; cum narret Apollodorus ex Acheloo, & Melpomene Mnemoſynes filia Sirenes natas. at Hermopoli Muſarum princeps (Calliopen intelligo) Iſidis & Juſtitiæ nomine cenſebatur. vel ſi negemus eſſe muliebrem faciem, & virilem aſſeramus, ut capitis orna-

Lib. 1. Biblioth.
Plutarchus.

ornatus ſubindicat, quem fruſtra alibi quam in virili Icone quæſieris, dicemus eſſe Oſiridis ſymbolum, ex Accipitre, de quo infra ad ſatietatem dicemus, & Oſiridis vultu conflatum. cujus & Iſidis, Soliſve, & Lunæ conjunctionem ſeu relationem, quam è naturæ fontibus hauſtam, nemo veterum non agnovit, indicat imago ſedens, cui appoſitum eſt Ibidis caput, peculiari & inſigni (ut dicemus) unius (*x*) Iſidis nota. Crocodili præterea gemini throno ſubjacent, animantes apprime ſolares, quos Jamblichus propter hexagonarium numerum cum ſole convenire ſcribit. tradit enim Ariſtoteles parere eos ova ſexagena, quæ per totidem dies foveant, ultra quem numerum annorum, maxime vivaces, minime progrediuntur. comprobaret Jamblichi dictum nonnihil Achilles Statius, qui prodidit Crocodili dentes, ſi ad numerum redigantur, anni dies æquare; at ipſemet mendacium veritus, teſtimonij auctoritatem verbo elevavit. plura in hanc ſententiam Ælianus *lib.* 10. eſt autem hic numerus Aſtrologis prima menſura, quem τέλειον Græci, nos perfectum vocamus, inquit Cenſorinus. neque alia ratione factum putarim, quod apud Euſebium legitur, Solis imaginem Ægyptios in navi collocaſſe, quam Crocodilus geſtaret. quod navigium Martianus Capella, cui nos non omnino malam medicinam fecimus, ita deſcribit: *cui Nautæ ſeptem, germani tamen, ſuique conſimiles præſidebant, in prora Felis forma depicta, Leonis in Arbore, Crocodili in extimo videbatur.* Felis nomine Ælurum intellige, &

Pag. 52 & 72. *De myſter. Ægypt.* *Lib. 5. de hiſt. anim.* *Plutarchus.* *Lib. 4. in fi.* *Plutarchus.* *De die Natali cap. 11.* *De præp. Eu. lib. 3. cap. 3.* *Lib. 2. de Nupt. Phil.* X

omnia

omnia in unguem quadrabunt, Crocodili ſcalpturâ Oriens, & Occidens, Circi Solaris Metæ exprimebantur, ut retulit Horapollo. eorundem antiquiores divinatione pollere Ægyptij arbitrabantur, cum de conſulentium manu cibos caperent, vel aſpernarentur, ut de Api narrat Plinius. Crocodilorum cultores fuerunt Ombitæ, Coptitæ, & Arſinoitæ; Thebani, & Mœrios ſtagni accolæ. quin & Urbi nomen à Crocodilis inditum: ipſis divini honores adtributi, ut aſſeruit præterquam plures nobilis Geographus, qui hujus præpoſteri cultus ſpectator fuit. Tentyritæ è contra, & qui circa Elephantinam erant interficiebant. Juvenalis.

Lib. 1. Ælian. l. 8. cap. 4. Ælian. l. 10. de hiſtor. an. cap. 21. 24. Herodotus lib. 2. Strabo. l. 17. Sat. 15.

Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas;
Immortale odium & nunquam ſanabile vulnus:
Ardet adhuc Ombos, & Tentyra, ſummus utrinque
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus, cum ſolos credat habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit. ———

Omnia ad hiſtoriæ fidem. Joſephus enim, gravis in primis auctor, Apionem refellens, objicit, Ægyptios inter ſemet religionis ergo præliari. invaluerat enim pravus hic mos in univerſa Ægypto, politico quodam Regum conſilio, ne ſcilicet populi paria ſentientes facile contra ipſos conſpirarent, quæ fraus utinam ad quoſdam è noſtris, magno Chriſtianæ Reipublicæ malo non perveniſſet!

Lib. 2. Diodor. Sic. lib. 1. par. 2. cap. 4.

F ſed

ſed caveant. *malum enim conſilium*, ut vetus eſt dictum, *conſultori peſſimum.* pleraſque alias harum turbarum cauſas ne pigeat videre apud Plutarchum, qui narrat grave bellum ſua tempeſtate conflatum, ex hujuſmodi cultus diſparitate, inter Cynopolitas, & Oxyrynchitas. *Ombitæ liberos ſuos à Crocodilis raptari* (ô tenebras!) *mirifice gaudebant.* at non ita viſum Cleomeni, homini Alexandrino, qui hujuſmodi ineptias in privatam nundinationem convertit. Tentyritæ, & Apollonopolitæ egregie, qui noxias beſtias oderant, & interficiebant. cauſam quæris? Typhonem Oſiridis illum interfectorem, Deorum omnium hoſtem, in Crocodilum converſum eſſe exiſtimabant. Typhonem hunc, ne quid indictum abire patiamur, arbitrabantur Ægyptij vim quandam malam, & tyrannicam eſſe; à quo, ut verbo dicam, incommoda omnia fluerent. hæc ipſis Typhon, Seth, Bebon, & Smy appellabatur. oſſa Typhonis ferrum; Typhonem ipſum rufi coloris fuiſſe dictitabant. hunc Manilius proprijs videtur coloribus depinxiſſe.

Plutarcho adjungendus Appollo Abbas. Apud Pallad. in Lauſ. ſect. 48. Ælianus lib. 10. c. 21. Maxim. Tyrius ſer. 35. Ariſt. de Re. Famil. lib. 2. Ælianus lib. 10. c. 21. Plutarchus.

Manil. lib. 4. Plutarchus. quem omnino vide, & Agath. lib. 2. hiſt. Rabanus Maur. de inſtitut. cleric. lib. 2. Pet. Sic. Sulpic. Severus hiſt. ſac. extremo lib. 2. Iſidorus de vir. Illuſtr. & lib. 5. Etym. cap. 5. Theod. hæret fabul. l. 1. D. Hier. adverſ. errores Joan. Hieroſol.

Scilicet in Piſcem ſeſe Cytherea novavit.
Cum Babyloniacas ſubmerſa profugit in undas,
Anguipedem alatos ungues Typhona ferentem

Ab hac radice pullularunt Magorum ſomnia de Oromaza, & Arimanio; Manichæorum commenta, Incantatorum præſtigiæ, Gnoſticorum, & Marcioni-

cioniſtarum deliria, qui duo principia aſſeruerunt. Inter Ibin, & Crocodilum, ut in ſemitam redeamus, ea intercedit ἀντιπάθεια, ut ſolo Ibidis pennarum contactu (ſi Æliano credimus) Crocodilus ſtatarius fiat. *Lib. 10. de hiſtor. anim. cap. 30.* Oſiridi anteambulonis, Iſidi ſtipatoris operam præſtat (y) Orus, ut arbitramur, de quo inferius * agemus; ** Pag. 50. & ſeqq.* peritos Structores imitati, qui in paupere domo ita convivium inſtruunt, ut Cenæ caput plerumque in extremos miſſus rejiciant. Iſis (z) in ſolio ſacro Tabulæ meditullium obtinet, univerſæ rei contextum & ſeriem ſibi vendicans. ornat ipſius verticem Numidica guttata, caput fovens expanſis alis, quali poſitu cernitur & in antiquo æreo ſigillo, quod ſeorſum in AUCTARIO * dabitur. ** Tabula. V.* & ſane Pauſanias docuit nos, apud Tithorenſes Meleagride ave Iſidi fieri Ægyptio ritu. *In Phocicis.* avi impoſitus ceſticillus, è quo ſurgunt bina Perſeæ folia, & cornua illa ſatis decantata, inter quæ bicornis Scarabæus, quem Taurum Ariſtoteles, Lucanum vocavit Nigidius, *Lib. 5. de hiſtor. an. c. 19. Plin. lib. 11. cap. 28.* Lunæ ſacrum, ut notat Horapollo, quod, ut & Porphyrius animadvertit, in partu fovendo VIII. & XX. dierum periodum Lunarem obſervet. *Porphyrius. lib. 4. de abſtinentia.* Scarabæi charactere Ægyptiorum bellatores ſignabant, *Plutarchus & Ælian. lib. 10. c. 16.* ea ratione, quod cum fœminino genere hoc inſectum careat, viros utique ſolos deceat bella tractare. addit Plinius ab Ægyptiorum pleriſque inter numina coli. *Lib. 30 c. 11.* imo è gemma, lapideve eoſdem elaborabant, in eum videlicet uſum, ut filo trajectos geſtarent; cujuſmodi è Sarda vidi apud amicum meum EDMUN-

DUM BRUTZIUM inſignium rerum acerrimum conquiſitorem. Iſis ipſa plumatili veſte induta eſt, è Numidicæ pennis confecta, familiari ut videtur, & penè domeſtico integumento, quod fortaſſe guttarum ſpecie Oſiridis etymon referret. Ferculi baſin ornant (*aa*) Hieracoſphynx, & (*bb*) Canopus, de quibus ſermo erit * inferius. Sceptra baculoſve, quos & à lateribus, & in baſi conſpicimus, Artapani teſtimonium inſignivit. is enim apud Euſebium refert, cum Tellus à Moyſe baculo icta, Muſcas, Ranas, Locuſtas, & alia hujuſmodi faſtidia protuliſſet, conſueviſſe Ægyptios in templo Iſidis, quæ Terra foret, Baculum, cultus, & memoriæ gratia collocare. hæc apud Pierium peſſime deſcripta ſunt, ab ijs forſan, qui Autographa non capiebant. Oro ſtanti, è regione eſt (*cc*) fœmina, de cujus nomine mihi non liquet. ſcio quidem Ægyptijs cultas eſſe Nephtyn, quam Finem, Venerem, & Victoriam eſſe cenſebant; Tithrambo ſeu Hecatem, Thermutiden, & Eumenutin Canopi uxorem; Themidem, Veſtam, & Gratias, at hæc omnia nihil ad Bacchum, ut in Adagio eſt. ad (*dd*) Oſiridem veniamus, cujus ſcabello inſculptus Leo eſt, apponi ſolitus ſub Ori Throno, ut Horapollo teſtatus eſt, cujus auctoritas apud me magna pervicit aliquando ut crederem, icones omnes, quæ Upupam præferunt in virga ſacra (ut ipſi appellabant) Ori eſſe, quem necis paternæ vindicem fuiſſe ſcribunt omnes. hæc mihi ſupprimere non libuit, quæ fortaſſe amatorem invenient. pul-

crum

πολυόφθαλμος.

*Pag. 70 & 75.

Lib. 9. præp. Eu. cap. 4.

Lib. 14. Hierogl.

Plutarchus.

Epiph. lib. 3. adv. hær. & in Ancor. Herodot. lib. 2.

Lib. 1. c. 71.

AA

BB

CC

DD

crum enim duxi ſemper veritatem, etiam per exiſtimationis diſpendia conquirere. utcumque hæc ſe habeant, non hallucinabitur, qui Solem, Orum, & Oſiridem in unum redegerit, & Oſiridi Leonem aſſignarit. ignitæ namque naturæ animal, caloris, & ignis auctori convenire arbitrabantur. & Solem retulit Porphyrius à quibuſdam Lacertum, Leonem, Draconem, Accipitrem appellari. *Lib.4. de abſtin.* ad hæc Leonis ſignum in Zodiaco Ægyptij domicilium Solis appellaverunt. *Macrobius. lib. 1. Satur.* & ideo Crœſus Delphos inter alia Anathemata Leonem aureum miſit. *Herod. lib.1.* Segmenti hujus extremum

E E obtinent ſigna (*ee*) Iſidis, cum Sacro capitis ornatu; Spicis nimirum, vulturiniſque pennis. de Spicis præter Ovidium, & Appulejum, inſignis eſt Tertulliani locus, *Lib.2. Meta.* in libro *de corona militis* ita ſcribentis, ſi & Leonis Ægyptij ſcripta evolvas, prima Iſis repertas ſpicas capite circumtulit. de Pennis Ælianus, qui *Lib.10.c.23.* eaſdem in Ægypto veſtibulorum faſtigijs ornamento eſſe teſtatus eſt. pone Iſidem hinc Rana, illinc Cyno-

F F cephalus, (*ff*) niſi quis Cercopithecum eſſe malit. at Cynocephalum ſtantem, manuſque in cœlum tollentem Βασίλειόν τε ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχοντα fuiſſe Lunæ exorientis ſymbolum retulit Horapollo. βασίλειον Grammatici Regiam interpretantur. ego cum vulgata Ho- *Lib. 1. c. 15.* rapollinis verſione Regium inſigne, ſeu Diadema lubens retineo; favente præſertim Pictura, quam præ oculis habemus. & quidem Regium capitis inſigne (ſive Reges priſcos intellexerit Horapollo, ſive Im- *Suidas.* peratores, quorum ævo vixiſſe creditur) circulum

 imi-

Lib.6.c.37. imitabatur. firmat hæc Ælianus, qui Aſpidum picturam in diadematibus Ægyptiorum Regum notavit, quam in Tabula videri nemo opinor negabit. at ſi cui hæc minus placent, audiat quid mihi ex inſperato venerit in mentem, conſuevit dædala Antiquitas res hominum opinione religioſas, & auguſtas, quibuſdam veluti Notis inſignire, per quas ipſis aliqua dignitas accederet. inter has maxime nobilis fuit orbis quidam capiti aliquando circumſcriptus, Venerationis index & Majeſtatis, quæ humanam excederet; hunc ego Imperatoribus, quos Veteres ſupra faſtigium mortalitatis elatos ſuſpiciebant, Provincijs Orbis Romani, Urbibus primarijs, animalibus etiam Deorum circumpoſitum notavi. & quod ad Auguſtos pertinet, extant numiſmata ærea Antonini Pij, & Conſtantij illius, qui Arrianis favens Catholicam Eccleſiam perturbavit.





Edidit Hieronymus Rubeus in Append. hiſtor. Raven. Et Ravennæ, in Æde D. Vitalis, manent adhuc antiquiſſimæ ex opere muſivo Juſtiniani, & conjugis imagines, quarum capita noſter hic circulus ambit.

Pro-

Provincias, & urbes videmus in libro cui Titulus eſt Notitia Utriusq. Imperii. & in Tabula Itineraria, quam debemus Marco Velsero Cl. Viro, cujus beneficio factum eſt, ut nobile illud Antiquitatis monumentum in lucem prodiret. Pavonem poſtremo ita exornatum geſtat Æternitas, in antiquo nummo Fauſtinæ Auguſtæ.



Hunc Orbem Ægyptij in ſummo capite ſimulachrorum ſuorum locabant: quod & hic & alibi licet animadvertere. ab illis Romanos ſumpſiſſe licet ſuſpicari: & variaſſe, habita decoris ratione. quod capiti, cui divinum quid ineſſe putabant, eo ſitu corona aptaretur, qui tamen ornatus inſequentium Principum moderatione, & tacito omnium conſenſu, Deo, & Sanctis ejus, ut alia pleraque in totum ceſſit, & antiquum Diadematis nomen in hodiernum diem retinuit. at Cynocephalus, à quo digreſſi ſumus, Diademati Lunæ ſpeciem annexam habet, cum qua ut Jamblichus tradit, communes habet phyſicas rationes, quæ ſunt, eadem exoriente lætari, deficiente mœrere. Cynocephalos in numero ſimiarum ponunt Ariſtoteles, Plinius, & Solinus, ut mi-

De myſterijs Ægyptior. Ariſtot. l. 2. de hiſt. an. Plinius lib. 8. cap. 54. Solin. cap. 30.

nus

nus mira videantur, quæ de eorundem docilitate prædicat Ælianus, Ptolemæis videlicet regnantibus, litteras pingere, ſaltare, tibias inflare, ſtipem pro his colligere, & in marſupium conjicere doctos fuiſſe. hos Hermopolitæ in numinum loco habuerunt, ſi Straboni credimus. Cynoproſopos videtur appellare idem Ælianus, quibus manus cum robuſtis unguibus, caput & dentes caninos, pectus hirſutum, & pedum celeritatem tribuit. de (*gg*) Rana, quæ Perſeæ pomo inſidet vix habeo quid dicam. ut enim Ælianum miſſum faciam, qui Ranarum Ægyptiarum vafritiem commendat, conjicere poſſumus, hoc animal veluti fœtum Nili, quem Sacerdotum ſapientiores Oſirin vocabant, in aliqua veneratione fuiſſe. hinc autem in ſacris ſcalpturis Embryonis nota fuit, ut quæ eſſet Telluris, ac ſi dicas Iſidis filia, quam Nilus altricibus aquis fœcundat. his accedat oculorum acies, qua ita pollet, ut ejuſdem aciei fuerit ſymbolum peculiare: ut ex hoc capite Oſiridi, & Oro perbelle congruere queat. GG

Lib. 1. de hiſt. anim. cap. 10.

Hæc & hodie perdocentur, ut prodit oculatus teſtis Petrus Bellon. *lib. 2. obſer. c. 52.*

Strabo l. 17.

Ælian. l. 10. cap. 26.

Idem lib. 1. de var. hiſtor.

Plutarchus, & Euſebius.

Horapollo, lib. 1. c. 25.

Idem lib. 2. cap. 101.

Supra ea, quæ diximus ſimulachra, ſtat in proprio veluti conſepto Apidi adverſus Taurus alter & ipſe ſacer: *Onuphis* (*hh*) videlicet, qui & *Menuphis* Suidæ (niſi hoc nomen utrobique corruptum ſit) *Baciſve*, ſeu *Mnevis*. totidem enim apud Ægyptios (quod ego ſciam) culti ſunt. Onuphis niger fuit, magnitudinis admirandæ, & herbam Medicam depaſcebatur. Bacis Hermunthi colebatur Soli ſacer, nam, & per ſingulas horas mutare colores affirmatur, inquit Macrobius, HH

Ælian. l. 12. cap. 11.

Macrob. l. 1. Saturn. c. 21.


II
KK
LL
MM
NN
OO
PP
QQ
RR
SS
XX
TT
VV
YY

crobius, & hirſutus dicitur ſetis, in adverſum naſcentibus, contra naturam omnium animalium. Mnevis item Soli ſacer Heliopoli colebatur, niger & nonnullorum ſententia Apidis pater, quem maximis teſtibus nigerrimum, & adverſis pilis inſignem fuiſſe ſcribit Euſebius; quem *Netiron* vel *Neuton* videtur appellare Macrobius. inter hos diſceptatorem agere non lubet. unum docuiſſe ſatis erit, in Archetypo nigri coloris eſſe bovem hunc, quem ſiquis unicum re, nomine triplicem eſſe dixerit, non inepte dixerit.

Ælianus lib. 11. *c.* 11.
Diodorus lib. 1. *par.* 2. *cap.* 4.
Euſeb. lib. 2. *præp. Eu. c.* 1.
Plutarchus, & Ammianus. Marcellinus lib. 22. qui videtur hæc ignoraſſe cum ſcribat ſuper eo nihil dici memorabile.

Reſtat nobis explicandum Menſæ infimum ſpatium, quo peracto limbum percurremus, cum aliqua ſpe, ſi non Palmæ, at plauſuum tamen, &
11 adclamationum. occurrit autem (*ii*) Iſis, cujus capiti inſidet calathus cum manubrio, Oſiridi communis; ut amborum vis frugifera, & capacitas, omnia in ſublime trahentium, declararetur. De Aſpide, Stellaque * ſuperius. hic ſatis erit admonuiſſe, Aſpidem repetitæ juventæ beneficio, & inceſſus facilitate, ſideri comparatam fuiſſe. quod adeo verum eſt, ut notarit Clemens Alexandrinus Aſtra propter obliquam converſionem corporibus ſerpentum aſſimilata fuiſſe. Interpretationem proximæ Iconis cogitavi ſæpe ſæpius an attingere expediret, tantam inquirenti difficultatem obtrudere viſa eſt. & denique conſultius viſum fuit, dicere aliquid, ut quæſtionis ambagibus expoſitis, doctiores ad hæc diſquirenda provocarem. qua in re Lectorem

Euſeb. lib. 2. *de præp. Evang. c.* 3.
Macrob. l. 1. *cap.* 20.
* *Pag.* 26 & 31.
Plutarchus.
Lib. 5. *ſtrom.*


ctorem monitum volo, me conjecturis, quando alia non ſuppetebant, indulſiſſe: cum modo tamen, & voto corrigendi, ſi quid minus vere dictum inciderit. *Lib. 7. Hierogl. & alibi.* Goropius Canopum contra hiſtoriæ & veterum monumentorum fidem interpretatus eſt. an ego meliora in medium attulerum, eruditi Lectoris hæc erit cognitio: *Lib. 3. de præp. Eu. c. 3.* Euſebius ex Porphyrio ſcribit, Ægyptios Mundum expreſſiſſe complicatis pedibus, veſte variegata indutum, auream Pilam capite ſuſtinentem. hæc ideo, quia locum non mutet, quia ſtellatus ſit, quia rotundus. Plutarchus vero libro ſæpius citato, ex Eudoxo Ægyptiam fabellam recitat. Jovem videlicet pedibus inter ſe connatis feriantem, ab Iſide ad greſſum expeditum fuiſſe. cujus fabellæ hoc erat ἐπιμύθιον, DEI mentem inconſpicuam & latentem ſua natura eſſe: motu autem ad rerum procreationem proceſſiſſe, quare dicamus & *Plutarchus.* nos, propoſitum ſimulacrum (*k k*) Ori eſſe, cujus KK nomine Ægyptij Mundum hunc interitui & ortui obnoxium; ideoque veluti ſpurium à Typhone accuſatum, intellexerunt. quæ indeſinens recentium *Suidas.* formarum libido fecit, ut Orum illi à Baccho, & Priapo non ſejungerent. ab hoc capite fluxit Ori *Plutarchus.* diſcerptio, quem Luna, ſeu Iſis, Mundi mater, in aqua repertum, vitæ reſtituit (ita fabulabantur) & immortalem fecit. genitalis enim Aquæ vis, & Luna ſublunarium Regina Mundum & fœcundant, & immortalem fere per varias rerum vices efficiunt. hinc apud eoſdem Ægyptios invaluit opi-

nio,

nio, Lunam & Solem oculos Ori fuiſſe, appo- *Plutarchus.*
ſite ad Hiſtoriam ſacram, in qua DEUM legi- *Gen. 1.*
mus duo luminaria magna in Mundo conſtituiſ-
ſe. quod vero ad Jovem attinet, nihil aliud Ju-
piter fuit, quam Mundus vel Mundi pars; ut *Apud Appulejum de Mundo, apud Plutarch. de Placit. Philoſ.*
pene putidum ſit recenſere hîc Orphei, Empe-
doclis, Arnobij & aliorum teſtimonia. hinc So-
lem Jovis oculum appellavit antiquitas, & Jo- *Arnob. lib. 3. adverſ. gent.*
vis, Cœli, Mundi mentem. Hoc igitur Ori Ecty- *Macrob. l. 1. Sat. cap. 21. & 18. & 19.*
pon eſſe ſtatuamus, quem in Paludibus apud Bu-
tum Latona primum enutrivit. in cujus rei memo- *Plutarchus.*
riam inſtitutum videtur, quod D. Epiphanius nar- *Epiphanius lib. 3. adver. hær.*
rat; Buti videlicet ſenes Sacerdotes caput raſos,
ad inſtar Nutricum Orum ſeu Harpocratem ge-
ſtare circumcurſantes, & faciem pulticulis oblitos
eam in ebullientem lebetem demittere. & qui-
dem hæc imago ad infantis pueri ſpeciem acce-
dit involuta nimirum faſcijs, & compoſitis pe-
dibus, quo ſtatu Deorum ſimulacra apud Æ-
gyptios fingi teſtatur Heliodorus *lib. 3. Æthiop.*
Hujuſmodi ſunt icunculæ fictiles, quas paſſim
in thorace conditorum funerum, ex Ægypto
ad nos advectorum, Aromatarij reperiunt. ut
ſuſpicari liceat Herodotum de funeribus Ægy- *Euterpe.*
ptiorum loquentem, religione aliqua impedi-
tum, Ori nomen conſulto ſubticuiſſe. nemo
enim erit (modo conditum funus vide-
rit) qui nos nugari putet, ſi dixerimus,
hanc imaginem ſervati funeris exemplar.

 vidimus

vidimus autem apud NICOLAUM FABRICIUM Ori typum in Gemma, quem hic delineatum voluimus.



Oſtentat autem Orum in Baride forſan jacentem, virgata veſte indutum, pedibus indiſcretis. Caput & pedes obſidet Upupa, quod ſumme pius Oſiridem parentem à Typhone interemptum ultus fuerit. de Scarabæo cornuto ſatis paullo * ſupra. Orum in Tabula contuetur (*ll*) Iſis, modiolos quinque præferens, quorum rationem intactam ſinere, quam per divinationes inveſtigare maluimus. Sacra Avis Accipiter librum, quo Deorum Ritus continebantur, detulit olim ad Sacerdotes, ideoque jure Iſidis capiti inſiſtit, quæ Dijs quibuſque Templa, Honores, & Sacerdotes conſtituit. hæc autem doctrina in libros relata eſſe videtur; Pythagoras enim apud Lucianum ſe Rituales Ægyptiorum didiciſſe profitetur. in proxime ſequenti Oſiridis (*mm*) ſimulacro ſtatus pedum notandus, ceteris quoque hujus Tabulæ Imaginibus communis. ſunt enim omnes varis pedibus, & in ſe contractis. cujus rei ratio ab Ariſtotele petenda, qui in problematis quærit, cur Æthiopes, & Ægyptij blæſi ſint. τὸ βλαισοὶ, qua voce ibi

Marginalia: * *Pag.* 43. — LL — *Diodorus, lib.* 1. *par.* 2. *cap.* 4. *Idem lib.* 1. *cap.* 2. — *In Gallo.* — MM — *Problem. ſect.* 14.

ibi utitur Philoſophus, quid ſignificet, Interpretes inter ſe digladiantur. ego pravitatem interpretor. at vero qualis ſit diſtortio hæc, & quarum corporis partium, Ariſtoteles uti conſpicuam non explicavit. Nos è Tabula primi forſan omnium (venia ſit dicto, ſubodorati ſumus. cum Tabula faciunt pleræque Ægyptiorum numinum Icunculæ fictiles antiquiſſimæ, apud Prosp. Alpinum, qui olim Ægyptum magno cum fructu ſtudioſæ juventutis peragravit. imo apud eundem ſpectatur Tela Indica, ex Æthiopum officinis prompta, in qua indigenarum mulierum mira ſimulacra eodem poſitu pedum incedunt. at negabit quiſpiam, Ægyptios propria corporis vitia in Dijs expreſſiſſe. non negabit opinor, ſi apud Theodoretum legerit, *Αἰγυπτίους ὡσαύτως αὐτοὺς διαμορφοῦν πρὸς τὴν οἰκείαν μορφήν*. quod Æthiopes, Thracas, Perſas, Medos feciſſe commemorat. ceterum hæc Theodoretus à Clemente Alexandrino videtur mutuatus. at quia ſupra votum meum contigit, Antonium Quæringum (norunt omnes quem virum) in explicatione Ariſtotelici problematis mecum ſentire, à ſtudioſis Lectoribus me gratiam initurum certo ſcio, ſi ejuſdem hac de re aureolam diſputationem, cujus deſcribendæ, vir non minus ingenuæ naturæ, quam eruditionis, mihi poteſtatem fecit, in Commentarium meum inſeruero.

Serm. 3.

Lib. 7. Strom.

ANTONIUS QUÆRENGUS LAURENTIO PIGNORIO.

QUod tam verecundè inſignium virorum opiniones convellere aggrederis, in eo Laurenti non minorem judicii laudem, quam modeſti, ac pudentis animi promereris. ſi qua enim in re probandus eſt antiquus è Menandri comœdia ſenarius.

τὸ πολλὰ πλημᾶν πολλ᾽ ἁμαρτάνειν ποιεῖ.

Probandus certe in re litteraria, in qua nullum peccandi modum cum ſibi ſtatuat audacia, difficile dictu eſt, quam licenter, hoc præſertim ævo, graſſetur in bonas artes. Sed in tanto veritatis, ac pudoris diſcrimine audi tamen, quid à graviſſimo Theologo pronuncietur. *Si quis eſt*, inquit, *qui ob humanam auctoritatem rationi abrogandam fidem exiſtimet, hunc tu dignum ducito, qui divini vatis ſententia brutis animantibus adnumeretur*. & rurſum : *Qui alium adigit, ut in verba magiſtri juret, nec præterea quidquam aut ſcribat, aut doceat, quàm quæ ab illo tradita accepit, is ad veritatem pergentibus viam obſtruit, & ingenii lumen contra æternæ legis præceptum non abdit modo, ſed opprimit, & extinguit*. Audendum ergo, ſed ita ut numquam excidat, τὸ μέτρον ἄριστον, & ſi quid refellimus, id more tuo improbemus, non contentionis, aut inanis gloriæ ſtudio, ſed publicæ utilitatis.

Quod

Quod vero pertinet ad locum Ariſtotelis in problematis, videris mihi tam felici conjectura Ægyptiam ſuperſtitionem cum Græca Philoſophia contuliſſe, ut ſi quis à te forte diſſentiat, nemo tamen eſſe poſſit, qui opinionis tuæ rationem non maxime probabilem fateatur. Quid enim illis acutius? Veteri mortalium inſtituto ad ſuæ quiſque gentis ſimilitudinem omnes deorum ſpeciem effingunt, cur igitur nullam Iſidis,& Oſiridis imaginem non varis cruribus antiquus cælator expreſſerit, ab ipſa Ægyptiæ gentis corporum habitudine petendæ ſunt cauſæ. Tum addis, Ad docuit nos Ariſtoteles, quod in dijs illis cum admiratione intuemur,id vulgo in omnibus Ægyptijs naturam efficere. jam ergo invenimus quod quærebamus; Quin duo ſimul didicimus,& quod modo dictum eſt, & quæ recta ſit interpretandi Ariſtotelis in illo problemate ratio. τὸ βλαισὸν enim cum multa ſignificet,ad peculiarem tibiæ demonſtrandam inflexionem, qualem in Ægyptia Tabula inſpicimus,aptiſſime duci potuit. Sed duos habes magni nominis adverſarios, Theodorum Gazam, & Guiljelmum Budæum, qui tamen cum inter ſe diſſentiant, te, ſi neutri accedis, ab judicij temeritate facile vindicant. Putavit Theodorus, nihil aliud eſſe apud Ariſtotelem eo loco βλαισότητα, quam pravam pedum inverſionem, atque ea de cauſa, quod barbarus interpres intortum ſimpliciter reddiderat, id ipſe ſuo more ſimul transferens, & declarans, novo in lingua latina dicendi genere pedum blæſitatem appellavit. Hanc vero maxime pro-

propriam ejus eſſe vocabuli notionem probare potuit non levibus argumentis. Nam Suidas cum duobus in locis blæſi rhæbique differentiam exponeret, illum proprie dixit eſſe, cujus pedes à genu detorti conſpicerentur, hunc vero cui vitium eſſet in tibia. Et Xenophon initio libelli περὶ ἱππικῆς, ubi docuit equorum ungulæ, ſi nimium depreſſæ ſint, inde fieri, ut pars pedis interior ingrediendo lædatur, ſtatim addidit ὥσπερ οἱ βλαισοὶ τῶν ἀνθρώπων. Inepte vero hujuſmodi uſus eſſet exemplo, ſi βλαισότης aliud eſſet quam pedis inverſio. Poſtremo Alexander cum primo problematum libro indagandum propoſuiſſet διὰ τί τῶν εὐνούχων ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον οἱ πόδες διαστρέφονται in ſecundo eandem prope repetens quæſtionem ita ſcripſit διὰ τί οἱ εὐνοῦχοι μακροὶ καὶ βλαισοί; quaſi indicare vellet, illos ipſos, quibus diſtorqueri pedes alibi dixerat, blæſos proprie nuncupari. His fortaſſe, aut non admodum ἐνδοξοτέροις ſuam tueretur Theodorus tranſlationem. Budæus vero, cum ad hujus vocabuli aperiendam proprietatem multa congerat, nec ſatis explicet, quid potiſſimum probet, ita Ariſtotelem videtur interpretari, ut blæſum dici velit, cujus crura extrorſum diverſa, ac divaricata ſint. hunc autem eundem eſſe cum valgo, quod ex Sex. Pompeij explicatione facile intelligi putat. valgo vero ita varum opponi, quemadmodum blæſo opponitur rhæbus. Hæc Budæus, quorum ſi quis rationem exigat, non deerunt, quæ reſpondeat; nam ut Latina omittantur, quæ ad Ariſtotelis verba recte interpretanda nihil faciunt,

ciunt, Julius Pollux lib. ſecundo ὀνομαστικοῦ ῥαιβοὺς inquit καλοῦσιν οἷς καμπύλα εἰς τὸ ἔνδον τὰ σκέλη, βλαισοὺς δὲ οἷς τὸ ἀπὸ τῶν γονάτων εἰς τὸ ἔξω ἀπέστραπται. Poſt Pollucem Galenus (quamquam enim σύγχρονοι, fuerint, videtur tamen Galenus adulto jam Commodo, cujus præceptor Pollux, plura ſcripſiſſe) cum in libro περὶ αἰτίων duas attuliſſet cauſas, ob quas crura depravari contingeret, tertiam addidit, quam impoſiti corporis molem eſſe dixit, atque ejus onere, quibus rectiora quam naturæ uſus expoſceret crura eſſent, eos blæſos fieri; contra rhæbos, quibus paulo pronius inter ſe curvata ſinuarentur edocuit. Tum diſertis verbis quarum rerum ea vocabula notæ eſſent oſtendere aggreſſus, eadem prorſus attulit, quæ paulo ante ex Polluce deſcripſimus. Ergo ſi Budæum audias, Ægyptios & Æthiopas valgis fuiſſe cruribus ex Ariſtotele diſcimus; ſi Theodorum, pravis tantum pedibus eos laboraſſe probat hypotheſis; utrumvis autem admittas, inde tuam everti explicationem contingit, unde tu illi ſubſidium paraſti; nam ſi blæſitas nulla eſt, quæ poplitibus in exteriorem partem projectis pedes comparet, & in recto veſtigio ingredientem hominem ſtatuat, vel perverſe in antiqua tabula rudis artifex Ægyptiorum corpora adſimulavit, vel turpi lapſu pro cruribus pedes, pro varo valgum Ariſtoteles in quæſtionem vocavit. Non tamen hæc ejuſmodi ſunt, quæ te facillime de ſententia dejiciant. Ac primum, quod utrique adverſariorum commune eſt, ſi τὸ βλαισὸν inferiores tantum corporis partes

invertit, cur libro *de Animalium hiſtoria* ſcripſit Ariſtoteles, *flecti hominis brachia in poſteriorem partem*, cum illa exceptione πλὴν μικρὸν ἐβλαίσωται εἰς τὰ πλάγια τὰ ἐκτός. ; Blæſitas igitur de brachijs etiam, ut loquuntur ſcholæ, prædicatur. Hoc communiter adverſus ambos. ſunt vero quæ etiam ſingulis ſeparatim objicias; nam primum quod attinet ad Theodorum, vel blæſum ad pedes recte contractum dicitur, quod ea propria ſit vocabuli ſignificatio, vel quod eum neceſſario ſenſum expoſtulet dubitationis propoſitæ methodus. Sed tam anguſtis finibus ejus vocabuli notionem minime circumſcribi clare intelligimus, cum ex verbis 2. libro de Animalium hiſtoria nuper prolatis, tum ex libro de Animalium ingreſſu, in quo ſepties repetitus ejuſdem vocis uſus, ad ſignificandam cruris inflexionem plerumque adhibetur. Dubitationem vero, quam proponit Ariſtoteles, non eſſe ad pedes tantum referendam, & cauſa rei quæ γενικῶς redditur, & ipſe prope ſenſus aperte demonſtrat; nam ſive calor, ſive moles membra diſtorqueat, qui in longitudinem porrectiores ſunt artus, eos facilius vi aliqua adhibita à recto deduci neceſſarium eſt. Budæi vero ſententiam non multo validioribus machinis & ipſam demoliaris; nam cum dicit blæſum Ariſtoteli valgum eſſe, non animadvertit, ſi hoc verum ſit, inde effici, ut Analyticæ artis vel inventor vel expolitor Philoſophus logicas ſyllogiſmorum conſecutiones ignorare videatur. Quid eſt enim? crura Ægyptijs extrorſum flectuntur, quia caloris exſuperantiam


flexio

flexio cruris inſequitur. At vel pueri cognitum habent, non commeare inter genera & ſpecies argumenti neceſſitatem. Præterea, ſi nihil blæſum eſt, niſi quod exterius inverſum à naturæ rectitudine abſcedit, cur ad eam brachiorum blæſitatem, cujus argumento ſuperius uſi ſumus, addidit Ariſtoteles explicationis loco verbum illud ἐκτὸς? Profecto aut ille περιττολογίας eſt accuſandus, aut Budæus improprietatis. Hæc ſingillatim adverſus utrumque. Quemadmodum vero ad ea, quibus ambo ſuam tueri poſſe interpretationem videbantur, reſpondeamus, omniſque è medio difficultas amoveatur, hinc ut arbitror ducetur tutiſſima ratio. Cum præ rerum innumerabili multitudine omnis verborum penus magna ſemper laborarit inopia, impulit uſum neceſſitas, ut quæ unius tantum rei propria vocabula eſſent, illa ad res plures ſignificandas, certa quadam obſervata ſimilitudine, audacter protraheret. Ex eo verborum genere βλαισότης eſt; nam vel omnem in partibus animalium ad inceſſum neceſſarijs à recto declinationem ſignificat, vel ei tantum tribuitur, quæ definitæ alicujus partis eſt propria. utrumque vero genus, tam commune, quam proprium, pari diviſione diducitur; nam vel adminiſtri progreſſionis artus noxia flexione obliquantur, vel facilioris motus gratia ſic à natura ſunt inſtituti. Ita ſex in genera blæſitas abit. Nec vero difficile eſt ad ſingula, quæ enumeravimus genera, veterum ſcriptorum uſum, & doctrinam accommodare; nam ſi pro varia ſententiarum ratione verba diligenter

expendantur, primum blæſitatis genus adhibitum invenietur ab Ariſtotele in lib. 2. de hiſtoria Animalium. ſecundum, & tertium ab eodem in lib. de Animalium ingreſſu. quartum ab etymologico cum blæſum idem eſſe dixit quod παραλυτικὸν. quintum à Galeno, & Polluce, ſextum deniq; à Xenophonte, Alexandro, & Suida. Quodnam vero ad blæſi genus controverſi problematis quæſtionem referendam cenſebimus? Profecto ad illud, quod dubitationi parem eſſe reſponſionem oſtendat, eſt autem reſponſio ejuſmodi, ut cauſas inflexionis afferat nullam certam ad ſpeciem contractæ. Quam vero in partem illa flexio vergeret in Ægyptijs, tu mira ſubtilitate ex veteri tabula demonſtraſti. Quod ſi noſtra quoque tempeſtate, ijſdem terrarum in oris genitos, non valgis ſed varis ingredi cruribus nos docuiſſes, nullam prorſus de tuæ veritate opinionis in animo cujuſquam dubitandi anſam relictam exiſtimarem. Habes, quod te expetere oſtendiſti, meum de tua conjectura judicium. Quod vero aliquando tibi dixi, multa eſſe in Platonicorum libris, quæ ſi familiarem ipſis philoſophandi rationem ſequi vellemus, de abditis rerum cauſis, deque abjunctis à materia mentibus, ex hac ipſa tabula depromi poſſent, id ejuſmodi eſt, quod vel inanibus comminiſcendis allegorijs, quales damnantur à Socrate, ingenij vires miſere deterat; vel ſi quid etiam contineat, quod cognoſci non inutiliter poſſit, ab ea tamen commentatione, quam tu tibi propoſitam initio nos monuiſti, ſit plurimum alienum.

Pro-

NN Proximum ſubſellium occupat (*nn*) Iſis, cui ſtans
OO (*oo*) Oſiris aviculam porrigit, alis veluti applauden-
PP tem. poſt hæc Iſidis (*pp*) effigies. cujus capitis orna-
tus Loti Floribus & Perſeæ folijs diſtinctus, faciem
humanam Æluri habentem auriculas includit; cu-
juſmodi & alibi viſitur, quod ſymbolum & in vertice
Siſtrorum apponi teſtatur Plutarchus. Felis enim ob *De Iſide, & Oſiride.*
varietatem, vim noctu agendi, fœcunditatem, ſtatas
cum Lunæ vicibus oculorum auctiones. & immi-
nutiones, Iſidem indicabat, qua ratione inferius Fe-
lem cum ſiſtro conſpicimus. muliebris vero facies,
non ſine mente, conſilioque Lunæ curſum agitari
QQ demonſtrabat. ſuperius pandit alienas alas (*qq*) Sca- *Clem. Alex. lib. 5. Strom.*
rabæus, Solis imago, ejuſdemque in curſu æmulus, *Horap. lib. 1.*
in exuenda ſenecta Lunæ exemplar. ejus encomia *Ariſtoteles lib. 8. de hiſt.*
cum alij collegerint, ſufficiet appoſuiſſe hic antiquam *anim. cap. 17.*
Gemmæ ſcalpturam.



In ea Solis caput concinne Scarabæo impoſitum,
quæ omnia ſerpens caudam vorans ambit, ut daretur
intelligi fortaſſe, Orbis hujus lucem à Sole eſſe, qui ſa-
piente curſu vitam animantium moderetur. Accipi-
RR tris caput, in imagine ſequente, Oſiridem (*rr*) veluti
digito monſtrat; ut enim refert Euſebius ἐν Ἀπόλλωνος *Lib. de præp. Evang. c. 3.*

 πόλει

πόλις colebatur ἱερακοπρόσωπος ἄνθρωπος lancea Typhona interficiens. Accipitris faciem (cetera enim noſtri inſtituti minime ſunt) ipſe ad Solem refert, cum ea Avis lucis & ſpiritus Ægyptijs ſymbolum ſit: tum ob Alarum pernicitatem, tum ob vim in altiora tendendi. imo Plutarchus Accipitris pictura ab ijſdem Oſiridem ſæpe proponi refert. cujus rei rationes ab ipſo ediſcendæ. ſuſpicari autem licet, à Zoroaſtre figmentum hoc invectum fuiſſe, cujus ἐν τῇ ἱερᾷ συναγωγῇ τῶν περσικῶν hæc ſunt verba: ὁ δὲ Θεός ἐστι κεφαλὴν ἔχων ἱέρακος. in quam ſententiam Plutarchus narrat, Sai in veſtibulo Templi Minervæ, Accipitris ſcalptura Deum prænotari. haſce imagines D. Gregorius Nazianzenus portentoſas & compoſitæ naturæ vocat; ubi Nonnus notavit, ſe Alexandriæ vidiſſe perexigua quædam ſigilla (qualia & nos vidimus) caput Canis, Felis, Accipitriſve geſtantia. de ſtella (ss) Sothi ſatis jam * diximus, ut etiam de (tt) Oro †, cujus imago cum Anubide (vv) & Iſide (xx) ad Minucij Felicis verba mirum in modum facere videtur; ea ſunt: *Iſis perditum filium cum Cynocephalo ſuo & calvis Sacerdotibus luget, plangit, inquirit.* ſubdit: *mox invento parvulo gaudet Iſis, exultant Sacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur.* Anubiden, quem minus proprie Cynocephalum vocant Minucius, & Tertullianus, refert Diodorus, Oſiridis filium fuiſſe, uſumque canis inſigni. inde videtur natum, ut canino capite fingeretur. Plutarchus Oſiridis, & Nepthyos filium facit quem Iſis à matre expoſitum ſuſtulerit, cuſtodemque perpetuo habue-

Refert Euſeb. lib. 2. præp. Evang. cap. ult.

11. invect. in Julian.

** Pag. 31.*

† Pag. 25 & ſeqq.

In Octavio.

Tertul. in Apol. cap. 6.

Diod. lib. 1.

SS

TT

VV

XX

habuerit: eundem præterea eſſe cum Horizonte, & Saturno, Hecatenque imitari numen cœleſte, & terreſtre. ſunt qui Mercurium appellarint, veluti Servius, & Appuleius. imo Lucianus ſcribit, Mercurium, poſtquam Iſidi in Ægyptum trananti præiviſſet, ex adoleſcente Cynoproſopum factum. hac de cauſa Anubidis geſtamen fuit κηρύκειον Mercurij inventum. Anubidis anathemata Cynocephali fuerunt; ex quo videtur factum ut ab his non diſtingueretur. fuit is Oſiridis, atque Iſidis cuſtos, ad canis naturam appoſite. inde apud Virgilium, Ovidium, Propertium, Prudentium, & Avienum, latratoris, latrantis, & caniformis epitheto notatur. Juvenali deriſor appellatur; quo tamen loci, ſi antiquorum exemplarium fides accederet, deroſor magis placeret: ad canem eximie. nec aliud numen intellexit Prudentius.

In fine viij. Æneidos.
In Dial. Noti & Zeph.
Lucian. in Toxari & Nummi veteres.

Virgil. Æneïd. lib. 8.
Ovid. Metam. lib. 9.
Propert. El. 10. lib. 3.
Prudent. in Apothæoſi.
Avienus in Aratæis Phænom.
Iuven. Sat. 6.
Prudent. Lib. 2. cont. Symm.

Quaſdam victa dedit capitis Cleopatra canini
Effigies. ----------

Fuit individuus Iſidis comes quod præter Minucium Felicem & Tertullianum locis proxime citatis, indicat Avienus.

Digna Poli conſors, & cura latrantis Anubis.

Extat apud nos in Ædibus Rhamnuſijs græca vetus Inſcriptio, quam hic appoſuiſſe non omnino ineptum arbitror.

ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΘΕΟΦΙΛΟΥ
ΑΝΤΙΟΧΕΥΣ ΜΕΛΑΝΗ
ΦΟΡΟΣ ΤΗΝ ΚΟΝΙΑΣΙΝ
ΤΟΥ ΠΑΣΤΟΦΟΡΙΟΥ
ΚΑΙ ΤΗΝ ΓΡΑΦΗΝ ΤΩΝ
ΤΕ ΤΟΙΧΩΝ ΚΑΙ ΤΗΣ
ΟΡΟΦΗΣ ΚΑΙ ΤΗΝ ΕΓ
ΚΑΥΣΙΝ ΤΩΝ ΘΥΡΩΝ
ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΠΡΟΜΟΧΘΟΥΣ
ΤΟΥΣ ΕΝ ΤΟΙΣ ΤΟΙΧΟΙΣ
ΚΑΙ ΤΑΣ ΕΠ ΑΥΤΟΙΣ ΣΑΝΙΔΑΣ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΣΑΡΑΠΙΔΙ ΙΣΙΔΙ
ΑΝΟΥΒΙΔΙ ΑΡΠΟΚΡΑΤΕΙ
ΕΗΙ ΙΕΡΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ
ΤΟΥ ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΥ
ΡΑΜΝΟΥΣΙΟΥ

Iſis Tabulam fere concludit, cui (*yy*) Leoninum caput impoſitum, eadem prope de cauſa, qua Oſiridi vidimus Ibidis caput concinnatum. Sol enim Leonis vultu fingebatur, inquit Lutatius Placidus, vel quod hic Deus ceteros vi nominis & potentiæ excellat, ut inter reliquas feras Leo; vel quod ſit rapidum animal. & de hoc, vel non abſimili ſimulacro, ſenſiſſe videtur Minucius, Felix, dum inquit; *de capro etiam, & homine mixtos Deos; & Leonum, & canum vultus Deos dedicatis.* Arnobius & ipſe; *inter Deos videmus Leones, torviſſima facie, mero oblita minio, & nomine*

YY

Ad ſecundum Theb.

In Octavio.


Lib.6. adv. Gent.

mine frugifero nuncupari. Tertullianus etiam ; *ſed illi debebant adorare ſtatim biforme numen, quia & Canino & Leonino capite commixtos, & de Capro & de Ariete cornutos, & à lumbis Hircos, & à cruribus Serpentes, & plantâ, vel tergo alites Deos receperunt.* hinc deſumpſit argumentum Porphyrius, ad hæreſin ſuam defendendam ; ad ſimulacrorum videlicet compoſitionem quodlibet animal cum homine aſſumptum olim fuiſſe, veluti cum humano corpori facies avis cujuſpiam, Leoniſve jungeretur. huc reſpexit Lucianus λεοντοκεφάλους ἀνθρώπους recenſens. Romæ quidem extat marmoreum ſignum, quod quia hoc noſtrum æmulari videtur, hîc bono publico evulgamus, acceptum à HIERONYMO ALEANDRO, eruditiſſimo adoleſcente, contubernali olim noſtro, cui volentibus Muſis, Juris humani & divini penetralia inviſere feliciter contigit.

Apolog. c. 16.

Lib. 4. de abſtin.

In Hermotimo.



Explicatio Limbi.

Tabulæ interpretatione abſoluta, ad Limbum accedamus. incipiemus autem ab angulo, qui ſiniſter ſuperior inſcriptus eſt, in quo [1] Felis cum Siſtro, 1
Sacrum Iſidi animal, cujus ut fœcunditas exprimatur, teſtes Oſiridis ſuperne adjecti ſunt. hujus animantis ſepulcra in urbe Bubaſti fuerunt, ubi Diana colebatur, ut minus vere videatur dixiſſe de Ægyptijs Juvenalis.

Herod. lib.2.


Sat. 15.

Oppi-


Angulus ſiniſter inferior aſcendens
Angulus ſiniſter ſuperior deſcendens
Angulus ſiniſter ſuperior
A
B
B
h
a
C
C
D
D
E


Angulus dexter ſuperior
Angulus dexter ſuperior deſcendens
Angulus dexter inferior aſcendens
Angulus dexter inferior
Angulus ſinister inferior

FOL


SISTRVM ÆGYPTIACVM
Ex muſeo Franciſci Gualdi, Romæ.

Oppida tota Canem venerantur, nemo Dianam.

Siſtrum ad amuſſim (ut inquiunt) delineavit Appulejus, inquiens; *dextra quidem ferebat æreum crepitaculum, cujus per anguſtam laminam, in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, criſpante brachio, tergeminos jactus, reddebant argutum ſonorem.* non enim perſuadent mihi qui putant his verbis Crotalum deſcribi. at crepitaculum appellat. recte id quidem Martialis. *Lib. 11. Met.* *In Apophoretis.*

CREPITACULUM.

Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
Hæc quatiat tenera garrula Siſtra manu.

ante Martialem Propertius. *Lib. 3. elegia 9.*

Romanamque tubam crepitanti pellere Siſtro.

Ovidius.

------------ *crepuitque ſonabile Siſtrum.*

Et ut concludam, nemo erit, qui Plutarchum de Siſtro loquentem legerit, & Gemmas Nummoſque antiquos pertractaverit, qui non mecum ſentiat. licet enim Siſtrum aliquando ab hac ſpecie variaverit aliquantiſper, à Crotalo tamen longe abfuit. Siſtrum vero vel motum, & ortum rerum indicabat, ait Plutarchus, vel Nili acceſſum & receſſum, ut ait Servius. niſi dicamus denotaſſe Hirundinis garritum, in quam, Ægyptij fabulabantur converſam Iſidem, ut necem Oſiridis, cujus cadaver prope Byblum invenerat, *Ad VIII. Æneid.*

Plutarchus. commodius lugeret. prælucet nonnihil ad hunc intellectum Minucius Felix ita ſcribens; *Deſpice Iſidis ad hirundinem Siſtrum, & diſperſis membris inanem tui Serapidis, ſive Oſiridis tumulum conſidera, denique ſacra ipſa, & ipſa myſteria, invenies exitus triſtes, fata & funera, & luctus atque planctus miſerorum Deorum.* Iſidis autem aves videntur fuiſſe Hirundines, quæ inſulam, juxta oppidum Copton, eidem ſacram, ne laceret amnis, incipientibus vernis diebus, muniunt opere, palea, & ſtramento roſtrum ejus firmantes, continuatis per triduum noctibus, tanto labore, ut multas in opere emori conſtet. Fuit vero Siſtrum peculiare Iſiacorum geſtamen, quo Typhonem arceri credebant. & hoc Iſidis imitatione, quam Ovidius Val. Flaccus, Appulejus, Nummi veteres, & reliqua antiquitatis Analecta cum Siſtro delineant. qua de re Siſtratam turbam appellavit Martialis Iſiacos teletas.

Plin. lib. 10. cap. 33. *Plutarchus.* *Lib. 12. epigr. 29.*

Linigeri fugiunt calvi, ſiſtrataque turba
Inter adorantes quum ſtetit Hermogenes.

Præit [2] Accipiter, cui impoſitum Ori caput, è cujus mento dependet Serpentis cauda, niſi ego male conjicio, acumine videlicet in mentum infixo, ſeu vice verſa, ut alibi conſpeximus. præcedit Accipitrem [3] Leo, à quo Leontopolis deſumpſit nomen. imo eidem ut Deo templa erecta ſunt. Heliopoli tamquam Vulcano, & Soli ſacrum animal in Templi veſtibulis alebatur, ut ſcribit Ælianus, qui cauſ-
ſam

D. Hieron. contra Jovinian. lib. 2. Ælianus lib. 12. cap. 7.

ſam inquirens, cur Leo ignem paveat, reſpondet,
interioris ignis plenum eſſe, ideoque exteriorem
horrere. Empedocles autem apud eundem, feliciſſi-
mam prædicat converſionem ex homine in Leonem:
ut hinc arripuiſſe anſam videatur Appollonius, fa-
bulandi, Amaſidis animam in Leone latere, cui Sa-
cerdotes ſacra fecerunt, quemque vittis tenijſque
exornarunt. membra ejuſdem anteriora Igni, poſte-
riora Aquæ Ægyptij aſſignabant; quia, ſcribit Ma-
crobius, validus eſt Leo pectore & priore corporis
parte; at degenerat poſterioribus membris: in hoc
etiam Solem imitatus, cujus vicem in veteribus
Nummis radiato capite tulit; concinne ad hiſtoriam,
quam recitat Macrobius, de Leonibus videlicet, im-
miſſiſque in Regias naves radijs, quales in Solis
4 capite pinguntur. Succedit [4] Flos, qui diligenter in-
tuenti Melilotinus videatur. Porro Melilotus Nili,
& extremarum terræ orarum fœtus, Oſiridis &
Nephthyos germen fuit, quo Oſiris coronatus inceſ-
ſit: ideoque pro faſtigio Oſiridis teſtes eidem impoſi-
5 ti ſunt, quos ipſemet [5] Oſiris genu flexo veneratur.
6 ſacram [6] aſpidem alatam, cui Accipitris caput adje-
ctum, Pierius Valerianus Baſiliſcum interpretatur. in-
7 fra hanc videtur [7] Tauri caput, niſi quis Bovis fœ-
8 minæ malit; tum Perſeæ [8] arboris folium. fuit au-
tem hæc arbos Iſidi ſacra, quod ejus folium linguam
referret, fructus Cor. ſola præter hæc Nili aqua gau-
det. haſque cultus rationes ignoraſſe videtur Socra-
tes apud Caſſiodorum, qui proceritatem, & ſpeciem

Philoſt. l. 5. de vita Apoll.
Macrob. l. 1. Saturn. c. 21.
Idem cap. 20.
Plutarchus.
Pierius l. 14. Hierogl.
Plutarchus.
Fracaſtorius tamen vir inſignis Cameſi Deo ſacratam cecinit in Poëmate; quod Joſephum inſcripſit.
Pauſanias Eliacor. priore.
Socrates l. 6. hiſtor. tripart. ubi de Perſea Hermopoli Thebaidis fruſtra ergo notavit Ælianus, *l.* 10. *cap.* 22. Perſea Ampollonopoli peculiarem eſſe, ſibimet parum conſtans *lib.* 11. *c. ult.* ex eadem arbore victoribus Dionyſiacorum Coronæ parabantur, ut elicio ego ex Callixeno Rhodio apud Athen. *lib.* 5.

 tan-

tantum in ea notavit. 9 Rana demum Scabello inſi- 9
det, ſupra quam plana illa rotunditas in Apicibus
ſacris frequens, quam 10 Serpens fere totam ambit. 10
præit hæc omnia alata 11 Sphynx, cujus memine- 11
runt Palephatus, & Ælianus. alioqui Ægyptij ex Leone & Virgine Sphyngas perficiebant, quales Romæ ſpectamus è regione Panthei, & in hortis Calliopeijs. ea ſcilicet de cauſa, quod Quintili & Sextili menſibus, quorum tutela Leo, & Virgo ſint, exuberet Nilus. ita Bellonius, qui addit Monſtra hæc Herodoto Androſphyngas vocari. inter Simias numerat Solinus, villoſas comis & mammis prominulis affirmans. at Auſonius, & Appollodorus tricorpores, ut hic videmus, aſſeruerunt. Sed cur ita frequentes hic appoſitæ? ut ſacrorum doctrinam innuerent latitare; qua etiam de cauſa pro foribus Templorum eas collocabant: ut docerent præterea Deum & amandum, & timendum eſſe: feræ enim & hominis imaginem Sphyngas gerere, itaque Deum impijs ferum, juſtis humanum eſſe. & hæc Pictorum licentia Poëtarum figmento auctoritatem conciliavit, Thebanam videlicet Sphyngen ænigmata proponentem iter cum viatorum diſcrimine inſediſſe. ipſa enim ænigma cum eſſet, haud mirum, ſi ænigmata diſcutienda proponeret. Gryllus tamen apud Plutarchum ex hominis & beſtiæ coitu Sphyngas enatas ratiocinatur. mox occurrit 12 Apis Na- 12
vigio vectus, quale forſan θαλαμηγὸν ναῦν appellat Diodorus. licet enim οἴκημα κεχρυσωμένον minime

Palephatus de incredibil. hiſt. Ælianus lib. 12. de hiſt. ani. cap. 35. Idem lib. 12. cap. 7. Ita Bellonius in lib. de admirab. antiquor. oper. præſt. cap. 2. Anton. Auguſt. Numiſm. Dial. 3. Michael Mercatus de Obeliſc. cap. 11. lib. 2. obſer. cap. 45. & 46 Cap. 30. In Monoſyllabis. lib. 3. Bibl. Plutarchus. Clem. Alex. lib. 5. Strom. lib. 1. par. 2. cap. 4.

me adſit, id factum videtur, ut Apis magis conſpicuus ſit. & ut nihil quod in mentem venerit indictum ſinamus, placuit olim, quod modo abdicamus, hoc navigium Barin eſſe, cujus meminere Diodorus Siculus, Porphyrius, Jamblichus, & Propertius lib. 3. Elegia. 9.

par. 2. cap. 5. & 6. apud Theodoret. ſerm. 3. de myſter. Ægypt.

Romanamque tubam crepitanti pellere Siſtro,
Baridos & contis roſtra Liburna ſequi.

13 Videbatur enim hic neſcio quis exprimi ([13] Oſiris fortaſſe) qui ſedens in puppi, conto navigium impellit, quod forſan ab ejus navigij ſtructura, quod Herodotus Barin appellari teſtatur, non omnino recedit. accedebat, hinc appellatum videri montem illum inſignem Armeniæ regionis, in cujus cacumine poſt cataclyſmum Arca Noë conſedit. Nicolaus enim Damaſcenus montem illum Barin vocat: niſi velimus id illi nomen ob altitudinem obtigiſſe, cum βάρεις Turres appellatas ſciamus: at, ut ſemel monuimus, ſeponimus hæc omnia, quæ Divinationem potius, quam ingenij acumen aliquod ſapiunt. mirum autem videtur, ut hoc obiter dicamus, quod de Arca Noë narrat Epiphanius, ejus reliquias ſua etiamnum ætate ſuperfuiſſe; quod & notavit Abidenus Mnaſeas, & Neoterici quidam, qui & hodie manere ſerio
14 adfirmant. Navigij noſtri puppim ornant [14] penna,
15 ſacra [15] ſerpens, & nobilis ille [16] frutex, qui Iſidis
16 capillo nomen debet. in Prora ſedet [17] Iſis Lunæ inſi-

Euterpe.

Apud Euſeb. lib. 9. præpar. Evang. c. 4.

In panario. Apud Euſeb. loc. cit. vide & D. Hieron. de loc. Heb. in princ. Ioh. Laurent. Anania Coſmogr. trac. 2.

inſignibus inſignis. porro extra cymbam [18] Oſiris, 18
qui cum Iſide, Oro, & Anubide limbum univer-
Porphyr. l.4. de abſtin. quem vide.
ſum paſſim diſtinguit, [19] Accipitrem veneratione 19
dignum eſſe monet. Accipiter enim Appollini, ac
ſi dicas Oſiridi ſacer fuit; & Solis præterea ſym-
Lib. 5. Strom.
bolum. eſt enim igneus & vim habet interimendi in-
Lib. 11. hiſtor. an. c. 35.
quit Clemens. imo Ælianus inter alia quædam no-
Ælian. l. 10. cap. 24.
tavit, hanc avem ab Ægyptijs, etiam mortuam, ut
divinam ſuos Tripodas habuiſſe. hanc Tentyritæ
ſanctiſſime colebant ob pernicitatem, & vim ad
Ignem, ut diximus, proxime accedentem. Coptitæ
oderant veluti Crocodilorum hoſtem acerrimam.
hinc autem nutare videtur Canon ille apud Strabo-
Lib. 17.
nem, ab Ægyptijs omnibus peræque coli ex terre-
ſtribus Bovem, Canem, Felem: ex volatilibus Ac-
cipitrem, atque Ibin, ex Aquatilibus Lepido-
tum, & Oxyrinchum. quæ ſi vera ſunt, mirum
videtur hos piſces nullibi in Tabula noſtra ſpecta-
ri. auget dubitationem Plutarchus, qui eos præ
alijs Piſcibus exſecrabiles Ægyptijs fuiſſe tradit.
Ælianus l. 7. cap. 9.
de Oxyrincho tamen aliter Ælianus. erant autem
in Ægypto ſacrorum Accipitrum curatores, ut
Diodorus l. 1. par. 2. cap. 4.
& reliquorum animalium ſacrorum altores, quo-
rum munera apud Diodorum legas. huc pertinet
Accipitres & hodie in Ægypto frequentes ſunt.
manſio Hieracon apud Antonium, nomen ſorti-
ta, ut aliæ pleræque, ab animalibus ſacris. [20] Ca- 20
Bellonius l. 2. obſer. cap. 36.
prinum caput, vel Mercurij ſymbolum eſt, ex
Marcianus lib. 2. de Nupt. Phil.
Marciano Capella, apud quem Caprea cum alijs
quibuſdam in ejus Dei gratiam proponitur; aut Ca-

pram

pram indicat, cui Ægyptij ex Theodoreto divinos honores detulerunt. quod ad Hircum attinet, fuit is ut ſupra narratum eſt Pani ſacer ea ratione, qua Priapus inter Deos relatus, ex appetentia videlicet indefeſſa generandi

Serm. 7.
Theodoret. ſerm. 3.

O miſeras hominum mentes, ô pectora cæca!

Vere hujuſmodi deliria dum exagitaret, ſcripſit Arnobius; ſi contemptor aliquis numinum, & ſacrilegi pectoris immanitate furioſus, intendiſſet animum maledicere Dijs veſtris, auderet in eos quidquam gravius dicere, quam iſta prodit hiſtoria, quam veluti quiddam mirabile Commentarij contuliſtis in formulam? at hoſce Commentarios quam ſpecioſis titulis exornabant! fuit qui Libros Θεολογουμένων inſcriberet. alij Indigitamenta, Rituales, & Augurales libros, Commentarios ſacrorum, Rerum divinarum, Religionum, Pontificalium Quæſtionum. alij alia, propter quæ curioſo Lectori non reſpondere vadato, & perdere litem operæ precium eſſet. his affinia fuerunt famoſa illa Gnoſticorum, & Carpocratianorum dogmata, quibus humano ſemini veluti rei ſacræ cultus acceſſit, & pecudum more promiſcui concubitus recepti. & hinc natum videtur, ut Fronto quidam, perfrictæ frontis homo, objecerit Chriſtianis inceſti convivij notam, & adorata Sacerdotis virilia, quod tamen Vir * illuſtriſſimus ad Exomologeſin acute retulit: & quidem hæc omnia,

Lib. 5. adverſ. Gent.
Aſclepiades Mendeſius apud Suet.
Pontificales libri apud Prob. in Geor. & Arnob. lib. 2.
Cenſorin. de die Nat. c. 7.
Cic. lib. 1. de divin.
Feſtus. Nectere.
Macrob. l. 3. Saturnalium.
Epiphanius.
Clem. Alex. lib. 3. Strom.
Theod. Hæret. fab. lib. 1.
Apud Minuc. Felicem.
** Cæſ. Baron. to. 1. Annal.*

omnia, hæreticis ſollemnia, nomini Chriſtiano o-
dium & invidiam apud Ethnicos conflaverant.
Plutarchus in Grillo. hæc obiter. 21 Mendeſius Caper, à quo digreſſi 21
ſumus, cum multis ac formoſis mulieribus inclu-
debatur, non ut cum ijs miſceretur, ut nuper
conjecit Vir doctiſſimus, ſed forſan in gratiam
pervigiliorum, quæ apud gentem ſuperſtitioſam,
ut reliqua omnia, invaluiſſe facile arbitramur. cujus
rei extant apud auctores pleroſque non obſcura
veſtigia. at his quæ ſupra diximus videntur adver-
Serm. 3. ſari Theodoreti verba, quæ ſunt; ταύτῃ δὲ τὸν Ἄπιν
τὸν βοῦν δὴ λέγω Αἰγύπτιοι τρέφουσιν. τῷ δὲ μένδην τῷ ἡλίῳ. au-
get dubitationem Interpres, qui hæc ita vertit.
huic (Lunæ) *Apin Bovem ita dictum Ægyptij
nutriunt : Soli vero Hircum*, quem vocant *Men-
den*. at non ΜΕΝΔΗΝ ſed ΜΝΕΥΙΝ legi & m. ſ.
Codices & ratio poſtulant, ut & vidit Fr. Syl-
burg. Vir doctus, & Reipublicæ litterariæ a-
mans. vocem vero Hircum interpretem ſibi habere
jubeamus, qui de ſuo largitus eſt. quamquam ſi
hoſce commentitios Deos ad indigeſtam illam con-
geriem, de qua in præfatione egimus, redigere
velimus, nihil prohibeat Soli Menden ſacrum eſſe.
at ridicula hæc numina, Apis videlicet cum Hir-
co, ita videntur fuiſſe hominum ſermonibus cele-
Serm. 6. brata, ut Maximus Tyrus neſcio cujus memine-
rit, qui ex Europa navigavit in Aſiam, ut præter
cetera ἢ βοῦν, ἢ τράγον videret. De Cercopithe- 22
** Vide ſupra pag. 11.* co 22 ſatis * aliàs. nunc de 23 Arula bipede ut vi- 23
detur

detur, in qua ſtat Urceus è Silanis duobus aquam in modiolos effundens. Urceo ſuperne infixa Crux Sarapidem notat, in cujus adytis hoc ſignum olim compertum diximus. Modiolos ad eundem pertinere jam pridem oſtendimus. at Sarapis per Aquæ effuſionem conſueverat excitari. in Oſiridis pompa vas aquarium præcedebat; in Iſidis, amphora, quam hy- *Porphyr. l. 4. de abſtin.* *Plutarchus.* *Apul. lib. 11. Metamorph.*
24 driam videtur appellare Vitruvius. de [24] Canopo, *Vitruvius in Prohem. lib. 8.*
25 quem [25] hieracoſphynx amplexatur, & præferre videtur, præter Poëtas, apud quos frequens ejuſdem mentio eſt, ita Euſebius *lib. 2. hiſtor. Eccl apud Rufinum*: ipſius (Canopi videlicet) ſimulachrum pedibus perexiguis, attracto collo, & quaſi ſugillato, ventre tumido, in modum hydriæ, cum dorſo æqualiter tereti formatur. Epiphanius præter hæc affirmat, Canobum Menelai Gubernatorem, ejuſdemque uxorem Eumenuthin Alexandriæ ſepultos, coli ad Ripam Maris, XII. ab Urbe lapide, in oſtio videlicet Canopico, de quo Veteres Geographi conſulendi, Strabo præſertim, qui & ab Epiphanio in locorum intervallo diſcedit, & cum ipſo Canopitarum mores, & ſacra luxuriæ, nequitiæque comperta ſcribit. Ariſtides tamen nobilis ille Sophiſta, ex Ægyptij Sacerdotis ſermone, ſerio negat, Canobum à Menelai Gubernatore nomen traxiſſe. multis enim ante ſeculis, quam appelleret eo Menelaus id nominis ei loco fuiſſe. eundem hujus vocis ſonum aliter atque Græci efferant, pronunciaſſe; ut hujus forſan loci ſit, quod monuit Quintilianus, Ciceronem *In Ancorato.* *Lib. 17. vide idus & Eunapius in Ædeſio.* *In Ægyptiaca.* *Lib. 1. inſtit. cap. 5.*

 Canopi-

Canopitarum exercitum dixiſſe, at ipſos Canobon vocare. vocabuli interpretamentum idem ille Sacerdos ajebat eſſe aureum ſolum, ea ratione (ſi divinare licet) quod ibi olim ante Alexandrum mercatorum conventus ageretur. ſupradictis calculum adjecit Plutarchus, qui improbat Canopum Gubernatorem appellantes. & hæc ſpecioſe magis dicta, quam vere. cum enim ethnici homines viderent detegi Chriſtianorum ſcriptis, quicquid ipſi olim veluti ſacrum coluerant, ut veritati obicem opponerent, rem alio trahere conabantur. Frangit hic ſeſe limbus, vergens ad inferiorem partem, in qua notandus videtur Leo [26] procumbens cum arietinis cornibus, a- 26
piceque Lunari. quæ omnia non incommode interpretari poſſimus, ſi dicamus Lunam non niſi poſt occidentem Solem conſpicuam eſſe. ut miſſas faciamus toties inculcatas Solis, & Lunæ; Oſiridis & Iſidis relationes. reſtant in hoc limbi ſegmento [27] Si- 27
ren, cum alis quaternis, Hieracoſphynx [28] alata & 28
[29] Ibis, quam graphice delineavit Cicero his ver- 29
bis; *Ibes maximam vim Serpentium conficiunt, cum ſint aves excelſæ, cruribus rigidis, corneo proceroque roſtro.* fuit hæc Iſidi ſacra Avis, tum quia ad Lunæ rationem, quam pennarum etiam variete exprimit, ova fingit; tum quia tot diebus ova excludit, quot Luna creſcit & decreſcit. ejuſdem inteſtinum Luna deficiente comprimitur. ad hæc extra Ægypti fines non progreditur, exportata vitam citius, quam patrij ſoli deſiderium abjicit. Conſecrationis cauſa fuit

Ariſtoteles lib. 2. de re familiari.

Lib. 1. de Natura Deor.

Ælian. lib. 2. hiſt. an. c. 38. Plutarchus, & Clem. 5. Strom.

Ælian. l. 10. cap. 30.

fuit utilitas. Serpentibus enim alatis ex Arabia in Ægyptum adventantibus obviam procedens, eas conficit, earumque ova diſperdit, ut patet ex Herodoto, Plinio, Solino, Juvenale. qua potiſſimum de cauſa capite pœnas luebat, qui etiam imprudens Ibin occidiſſet ait Herodotus, qui ſanctionem hanc etiam *Lib. 2.* ad Accipitrum necatores protendit. de Ibide teſtatur eadem Diodorus, additque oculatus teſtis eandem *Lib. 1. par. 2. cap. 4.* pœnam manere æluri etiam involuntarios interfectores. adjungit Cicero V. Tuſculana Aſpidem, Canem, Crocodilum. verè ergo Pomponius Mela, colunt (Ægyptij) effigies multorum anima- *Lib. 1. cap. 4.* lium, atque ipſa magis animalia : ſed alij alia, adeo ut etiam quædam eorum per imprudentiam interemiſſe capitale ſit. hac ſuperſtitione prudenter uſus eſt Cambyſes, dum Peluſium oppugnaret. cum e- *Poliæn. lib 7. Strateg.* nim Ægyptij miſſilibus ejus exercitum vexarent: is κύνας, πρόβατα, αἰλούρους, ἴβεις ante agmen utili conſilio collocavit. Ægyptij enim jaculari deſtiterunt. tot vero labores Ibis incaſſum obibat, ſi vera ſunt quæ prodit Theophylactus Simocatus homo Æ- *Quæſtio. Phyſ. 14.* gyptius, Ægyptios videlicet ejuſdem ovis inſidiari, ne ſcilicet cum venenivora ſit malum aliquod pariat. Ibis pollutas aquas eo uſque refugit, ut non alia ſeſe abluerent aqua Sacerdotes, quam ea, cujus *Plutarchus.* avis hæc bibendo puritatem approbaſſet. cum Crodilo eas inimicitias gerit, ut ejuſdem pennarum contactu, ſi Æliano credimus, Crocodilus ſta- *Ælian. lib. 7. cap. 40.* tarius efficiatur. Simocatus vero idem de Serpen- *Lib. 10. c. 30.*

tibus ſcribit, cujus teſtimonio libens ſubſcribo, cum
inter Ibin, & ſerpentes magnæ intercedant, eæque
Cicero lib. 2. de Natura Deor. Plin. lib. 8. cap. 27. Antoninus itinerario. naturales ut diximus inimicitiæ. uſum inſuper Cly-
ſteris invexit, & inter ſacras ſcalpturas multiplici ar-
gumento recepta eſt. ideoque in tot benefactorum
gratiam prope Hermopolin manſio fuit, quæ ab
Ibide nomen duxit. his ut par erat perpenſis, mirum
Lib. 17. non erit, quod Cornel. Strabo notavit, Alexandriæ
ad faſtidium uſque Ibides frequentes fuiſſe. præit
Ibin [30] Aſpis, cui præter Iſidis caput, Alæ quoque 30
alienæ adjectæ ſunt. quæ ſpecies facit, ut mihi ſuc-
Apud Lucianum in Pſeud. currat modo Dracunculus ille, quem Alexander
Abonotichita, egregius ille impoſtor, in mimicæ
divinationis uſum comparaverat. & quidem, ut obi-
ter moneamus, Plani illius feſtivæ impoſturæ aliquid
Macrob. l. 1 Sat. cap. 23. commune habent cum oraculo Jovis Heliopolita-
ni, quod abſentibus, non reſignatis codicillis, reſcri-
bebat. ducit agmen hujuſmodi beſtiarum [31] Gal- 31
lina, ſive ea Mauritana, ſive Meleagridum è genere
ſit, quæ cum Alis expanſis, & Uropygio, cauda-
que eam ſacræ Veſtis ſpeciem pene repræſentat,
quam Pluviale vocant ab antiquorum Penula de-
ſumptam. Deflectit hic iterum Limbus, ut infimam
Lib. 5. Tabulæ partem ambiat. ibi inter cetera eminet O-
rus [32] decumbens in lecto, quem Callixenus Rho- 32
dius Sphingopedem apud Athenæum appellaſſet. ſub
lecto Canopi tres, Canis ſeu Lupi, Accipitris, & Ho-
** Pag. 80. 81.* minis capite inſigniti. de Cane *inferius. nunc de Lu-
po (ſi tamen is Lupus eſt) agemus. Delphi Lupum
anima-

animatam Solis imaginem olim venerabantur, quia
hoc animal, ut exponit Macrobius, omnia corripit
ad inſtar Solis, qui radiorum vi omnia ad ſe trahit.
hinc Apollinis Lycij cognomentum. hinc Ægyptio-
rum Lycopolitana ſuperſtitio, Apollinem, & Lu-
pum pari proſequentium cultu. unde natum ut Ly-
coctonon herbam in Ægyptum importari vetuerint.
hinc Lycos oppidum, & Lycopolitis præfectura.
Græcis tamen aliter viſum, qui Apollinem Lupo-
rum interfectorem coluerunt. hiſce tranſvectis acce-
33 dit Bos 33 fœmina, ni fallor, quæ ut ait Solinus Api
oſtenditur in anno ſemel: & ipſa non abſque certis
inſignibus. quæ ut inventa, & oblata eſt, eadem die
ſtatim neci datur. ſuadet Gallina quæ expanſis alis
ita dorſo ejuſdem, ut Iſidis vertici inſidet. præter
hæc in Hermopolite nomo Veneri Sacram Vaccam
venerabantur. in universa Ægypto Boves fœminas
in Iſidis gratiam colebant. hæc minimo excipit in-
34 tervallo 34 Avis procumbens, cum Oſiridis capi-
te, quam ſi Ibidem eſſe fateamur, indicio erit, non
abſque Dei munere & mente ferri Ibides in exi-
35 tium anguium pinnatorum. 35 Androſphinx hanc
contuetur, ut rem forte myſteriorum ambagibus in-
volutam indicet. & ſane, in hoc Monſtro novum
quidpiam cernimus, barbam videlicet, cujus in to-
ta Menſa nullibi veſtigium extat. niſi dicere libeat
id in Hirci gratiam præſtitum fuiſſe, quem turpe
erat inter imberbes Apparitores conſpici, imo majus
miraculum videtur barbam Hirco demptam fuiſſe,
Sti-

Ælian. l. 12. cap. 37.
Lib. 1. Satur. cap. 17.
Ælian. lib 9. cap. 18.
Johan. Caſſian. lib. 4. de inſtit. renunc. cap. 23.
Plin. lib. 5. cap. 9.
Phurnutus, de Natura Deor.
Julia. Aurel. de cognomin. Deor. lib. 1. cap. 4.
Cap. 35.
Ælian. l. 10. cap. 28.
Herodotus lib. 2.

Stipatoribus non item. utcumque ſit, in Cymba, quæ
ſuperiori illi è regione reſpondet, cernimus [36] bicipi- 36
tem Hircum, qualem Bocchori apud Ægyptios re-
gnante extitiſſe ſcribit Ælianus. & niſi jam dudum
Lib. 12. hiſt. an. cap. 3. parum firmas conjecturas ablegaſſemus, non deeſſent
ſpecioſa ſaltem argumenta, quibus hunc Ægyptio-
rum Janum eſſe aſſereremus. Cymbæ tutela ſunt Per-
ſeæ [37] fructus, Accipitris [38] caput, & ſacra [39] Ser- 37
pens, quæ omnia [40] Oſiridem indicant, qui utrobi- 38
que Portitoris vicem gerat. accedunt [41] Phœnico- 39
pterus, Iſidis [42] apex & ante [43] Cercopithecum ge- 40
nua flectens [44] Anubis, mox [45] Scarabæus cum O- 41
ſiridis capite, quod unum ad implendam fabulam 42
deerat. idem caput ornant Iſidis inſignia, eo myſterio, 43
de quo ſuperius verba fecimus. Scarabæum excipit 44
[46] Canis, cujus ope Iſis maritum conquiſivit. ideo- 45
Diodorus Sicul. lib. 1. par. 2. cap. 4. que Canes præire pompam in ejuſdem feſto conſue- 46
verunt. addamus ex Æliano cæleſtis canis exortu Nili
Lib. 10. c. 46. alluvionem incipere, quam nullis non lætitiæ gene-
Ad 11. invectiv. D. Nazianz. ribus Ægyptij excipiebant, ut ex Ariſtenæto Rhe-
tore narrat Nonnus, cui ſubſcribunt Euſebius, &
Lib. 4. de vita Conſt. cap. 25. Heliodorus. qui ſcribit Nilum, quem ipſe Oſiridem
appellat, ab ijſdem pro Deo coli. quod cernimns, &
Lib. 9. Æthiopic. in veteri nummo apud JOANNEM MOCENI-
CUM Patricium Venetum.

Ut





Ut appoſite ceciniſſe videatur Parmeno Byzantius apud Athenæum. *Lib. 5.*

Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε.

Nec deerant qui crederent Iſidis lachrymis Nilum augeri, ut ex homine Phœnice ſe inaudiviſſe teſtatur Pauſanias. *In Phocic.* ſcribit autem Johannes Leo Afer etiam nunc in Ægypto manere ob Nili peractam feliciter alluvionem feſtos dies ſeptem illi Genti celebres, quos ab antiquorum ritu manaſſe & ipſe notat. de Memphiticis canibus, ut ad ſemel cœptam narrationem redeamus, mirum quidpiam refert Ælianus, *Lib.7.c.18.* in commune prædam exponere, & Deorum ſimulacra, quod & Horapollo de omnibus notavit, *Lib.1.c.39.* inconniventibus oculis intueri. Plutarchus vero ſcribit, canem Mercurij nomine Ægyptiace appellari. id fuit Ciceroni, & Lactantio *Thoth*, vel *Thoyt*, Euſebio *Taaut*, facili & recepto tranſitu vocalium Au in O. *Lib. 3. de Nat. Deor. Lib. 1. de fal. rel. cap. 6. Lib. 2. præp. Eu. cap. 6.* ejus vocis veſtigium etiam hodie Ægyptij retinent. ut enim mihi narrare conſuevit Vir Eccellentiſſimus Prosper Alpinus, Ægyptij, ut Canes ad diripienda propoſita cibaria provocent, inclamare conſueverunt *Tao*, *Tao*. imo conjicere licet, hinc

 manaſ-

manaſſe vernaculam vocem *To*, *To*, qua canes interdum allicimus. neque vero ab inſtituto noſtro alienum erit, ſi mendacij arguamus Plutarchum, qui Canem refert divinos honores amiſiſſe, quod Apidis à Cambyſe projecti cadaver depaſtus eſſet. ut enim Herodotum miſſum faciamus, qui diſertis verbis ſcriptum reliquit, *Apin Cambyſe inſcio tumulatum, cum ſauciatus femur in templo jacens extabuiſſet*; quod ad Canem attinet, præter Diodorum, & Joſephum, ſatis aperte cecinit Juvenalis.

De Iſide, & Oſiride. *Lib. 3.* *Joſephus lib. 2. contra Apionem.*

Oppida toto Canem venerantur ------

Sat. 15.

Hujus gratiæ data ſunt Cynopolitis Nomos, & κυνῶν oppidum prope Thmuin, ubi Anubis colebatur, canibuſque honor & ſacra cibaria conſtituta erant. in poſtrema limbi ſectione occurrunt adſpectanda [47] Mnevis, aliuſve quiſpiam è ſacrorum Taurorum numero. inde [48] Anubis, ſeu Mercurius. Scorpius [49] dein, Iſidis caput gerens, & humanas chelas, ad indicandum, ut ego quidem ſentio, charitatis nexum, inter Iſidem, & Anubin. Themis enim Philologiæ nuptum eunti, in Tabella Mercurij argumentum obtulit, minitantem Nepam. poſtremo adeſt [50] Oſiris [51] Hippopotamum haſta veluti confecturus. Hippopotamus vero apud Hermopolin Typhonis ſymbolum fuit; concinne ad ejus immanem Naturam, cum in equo Nilotico, quem Elephantum Ægyptium appellat Achilles Statius, par-

D. Hiero. in Eſai. *Itiner. Antonini.* *Plinius lib. 5. cap. 9.* *Strabo lib. 17.* *Martian. Capella lib. 2. de Nupt. Phil.* *Plutarchus.* *Lib. 4.*

47 48 49 50 51

parricidium, & inceſtum notaverit Horapollo. is tamen in Nomo Papremitano cultus eſt, ne ſcilicet præclara beſtia tot immanibus feris invideret. Typhonem inſuper apud Ægyptios expreſſit Aſinus, quem ideo Coptitæ male habebant. & ut ex Plutarcho adnotavit Ælianus, Buſiritæ, Abydeni, Lycopolitæ tubæ clangorem, ut aſinino ruditui perſimilem oderant. huc referenda Minucij Felicis; verba; *niſi quod vos & totos aſinos in ſtabulis cum veſtra Hippona conſecratis, & eoſdem Aſinos cum Iſide religioſe devoratis.* ita capienda illa Appuleij, *de pelle quadrupedis diram faciem, & peſſimæ, mihique deteſtabilis jamdudum belluæ iſtius corio te protinus exue.* Feſtive autem Ochus Perſarum Rex, qui cum ſe ὄνον ab Ægyptijs vocari intelligeret, Apidi, quem mactaverat, Aſinum ſubſtituit, & coli juſſit; malo tamen eventu. Bagoas enim, ſeu Vagao Ægyptius, Spado Regius, patrij numinis contumelia irritatus, Regem interfecit, Felibuſque diſcerpendum projecit, ut Iſidis injuriam ſacrum Iſidi animal ulciſceretur.

Horapollo lib.1.cap.56.
Herod. lib.2.
Plutarchus.
Lib.10.c.29.
Lib. 11. ubi & nefandum Aſini tegmen appellat.
Plutarchus, & Ælianus loc. cit. & lib.4. de var. hiſt.
Ælian.lib.6. var. hiſt.
Sulpic.Sever. lib. 2. hiſtoriæ ſacræ.

AUCTARIUM.

EMblemata hæc mi Lector in acervum quem vides eo inſtituto congeſſi,ut rerum ſuperius explicatarum ſeries ne diſrumperetur. quædam ibi apponere,prout res poſcebat, neceſſe habui : feci tamen cum modo & parce ſi copiam ſpectemus. quæ nunc tibi dantur commentario noſtro adjunges ſi operæ precium videbitur. ſi minus, abjunges : ego certe ſelecta,& edecumata in medium attuli , factura dubio procul ad eorum palatum , quibus explicatio hæc mea ſapiet aliquantiſper. Sectariorum veterum Hieroglyphica, nugas verius, adjunxi permotus doctorum Virorum adhortatione , & impulſus exemplo Illuſtriſſimi Viri CÆSARIS BARONII Cardinalis , qui hiſtoriam anni CXX ſcalpta hujus generis Amethyſto exornatam voluit, & locupletatam. & ſane plerique Principes ejus ſcholæ, qui nomine tenus Chriſtiani olim jurarunt in magiſtri Diaboli verba , Ægyptij natione fuerunt. in his Marcus, qui Hiſpanias infecit; Baſilides magiſter luxuriæ , turpiſſimorumque complexuum ; & Carpocrates inquinati, & cœnoſi dogmatis aſſertor. alij Ægyptiorum doctrinis imbuti, ut Cherintus peſtilens ille novator. ut minime mirum videri debeat ſi Lotum, Harpocratem, & reliqua Ægyptiorum ſomnia in eorundem ſymbolis conſpiciamus :

nec

nec deſuerunt qui Pythagoræ & Platonis axiomata ex Ægypto plurimum exportata in uſus converterent dogmatum inſanorum. tales Valentinus, cujus egregiæ contemplationi acceptos ferimus multiplices illos *Æonas*, *Acamoth* & *Iao* monſtroſa nomina. & puerorum muliercularumque inania terriculamenta. tales Seleucus, & Hermias Galatæ, qui DEO optimo Maximo actui puro, ſummo enti, & Materiæ impuræ potentiæ, infimoque pene dixerim non enti, æternitatem eandem tribuerunt. Deliria hæc ſatis ſuperque confutarunt Irenæus, Epiphanius, Philaſtrius, Auguſtinus, Tertullianus, Theodoretus, alijque quorum laudatos labores quotidie magis magiſque admiramur ſanctiſſimi & doctiſſimi Viri. eorum illuſtria ſcripta obſcura hæc è tenebris in lucem evocabunt, in qua veteris hiſtoriæ amantes verſabuntur cum fructu & delectatione. mihi ſat erit hæc veluti digito commonſtraſſe, & excitaſſe alios ad Eccleſiaſticæ hiſtoriæ non minimam acceſſionem qua corrigendam qua illuſtrandam.

FINIS.

L E C T O R I.

CUm eorum, quæ ſequentibus tabulis continentur, in AUCTARIO *ſuo nullam hîc adferat Pignorius dilucidationem, Kircherus autem in* Oedipo, *& Chifletius* in notis ad Maccarium *hæc uberius explicare agreſsi ſint: dedimus operam ut quicquid loci & brevitatis ratio exigere videbatur, ex iiſdem huc transferremus, reliqua genio & induſtriæ tuæ committentes.*

Contenta TABVLÆ I.

Fig. 1. *Iſidem* continet *ſacra Aſpide* comitatam, cum harmoniæ & Imperij inſignibus *lituo* & *baculo*.

2. *Typhonem* exhibet, Crocodilum pedibus calcantem & piſcem capite geſtantem.

3. *Iſidis turritæ* vel *Ægyptiæ Cybeles* effigiem repræſentat, cum Sacra Iſidi planta *Abſinthio marino*, & Soli ſacris *Accipitribus*. Brachia decuſſatim compoſita, ſummam illius numinis capacitatem arguunt, ut quod recondita quæque complectatur.

4. Hinc *Iſidis*, illinc *Serapidis* effigiem exhibet. Iſide manu dextra *ſitulam*, manu ſiniſtra *ſiſtrum*, in capite *modium* gerente. Serapis cum *modio* itidem in capite, & *radio menſorio* in ſiniſtra, alterâ imperioſo geſtu neſcio quid imperat. Medius inter utrumque *alatus puer*, Harpocrates ſcilicet, qui digito labiis impreſſo ſilenda horum ſacra admonet.

Sedens

TABVLA I.




Fig. 5 Sedens *Anubis* & ante eum proſtratus homo,cum interpoſito *fulmine triſulco* & ſuppoſito *Cancro* amuletum exhibet, quod *Sole in Cancro* verſante, & *horâ Iovis* inciſum, geſtantibus ſubtilitatem intellectus & honores largiri credebatur.

6 *Anubis* dextrâ *baculum*, *enſem* ſiniſtrâ gerens, geſtantibus patrocinium & averruncationem malorum omnium pollicetur.

7 Taliſma Canopicum eſt *tutulo* inſigne.

8 *Iſidem* Memphiticam, 9 Eandem *bari* vel *cymba* vectam exhibet.

10 Amuletum eſt *Ibidis* contra morbos capitis.

11 *Agathodæmonis* effigiem manu dextra notam A tenentem repræſentat. *Nuda* eſt hæc figura, quia ſimplex & ſolâ mente comprehenſibilis: *trunca*, quia nulla ejus in terris ſenſibilia apparent: *velum* habet *variegatum*, quia varia mundi ſuperioris facies eſt: *decuſſata* gerit *brachia*, quia naturæ toti præeſt. *Volucris facie virginea* & *ramoſis alis*, ſupremam intelligentiam ideis fœtam denotat.

T A-

TABULA II.

Fig. 1. & 3. Sacræ Aſpidis effigiem repræſentat, quam Ægyptiotiorum imitatione Romani ſibi finxerunt. Literæ L I, s. *Libertate ſalvâ* vel quid tale ſignificant.

2. Amuletum hoc Kirchero *Oſiris* eſt ἱερακόμορφος, cujus Accipitrinum caput Solare numen, *Calathus* abundantiam quam largitur, *baculus* imperium quo pollet, *lituus* harmoniam quam efficit, *gnomon* ſymmetriam qua utitur, *crux anſata in formam biſurcatam* ſpiritus Solaris in omnes mundi angulos diffuſionem denotat. Sed huic viri doctiſſimi interpretationi ut benè notavit Chifletius repugnat αὐτοψία, cum ſchema noſtrum non Accipitrinum ſed Caninum caput exhibeat, atque adeo Anubim potius ſignificare dicendum ſit.

4. & 5. Amuleta ſunt Oſiridis.

6. & 8. Amuleta ſunt Ægyptiaca *Harpocratis* & *Arveris*.

7. Notat *tres Gratias* portæ templi Epheſini appoſitas.

9. De hac figura, quæ *Mercurium* ut opinor cum *ſitula* & *ſiſtro* inſcriptum habet, altum apud authores noſtros ſilentium eſt, ideoque & nos plura addere ſuperſedebimus.

TABVLA II.



TABULA III.

Unius ejuſdemque gemmæ vel amuleti divulſas facies, & in hac *Priapi* ſive Solis, in illa *Anubis* ſive *Mercurij* ideam nobis exhibet. ſic *nuditas* quidem in Sole ſimplicitatis, *alæ* velocitatis, *baculi quatuor* ſupremi in totidem elementa dominij, & *membrum genitale* fœcunditatis & generationis index atque nota eſt. Adſcriptæ voces ſi invertantur. Iao & Mnhctha reddunt, quod idem eſt ac *Salus*, & *Recordare*, Numen enim precum haud immemor eſſe volunt. Jam Mercurius inferi & ſuperi horizontis cuſtos *capita canina*, *flammam*, *palmamque* & inſignia victoriæ gerit. quod induſtria & ſagacitate ſua animas ab inferis eductas ſideribus inferat. Ita præſens ſchema videtur explicare Kircherus, qui tamen, ut recte Chifletius notat, non animadvertit, figuræ humanæ, quam dicit eſſe duobus capitibus caninis, alterum caput humanum eſſe, alterum duntaxat caninum ab hujus cervicibus prodiens, præterquam quod de *cultro* ſeu *gladiolo* qui gutturi veluti ſurgentis è tumulo objicitur, nihil habeat, ac propterea aliam ei explicationem tribuat, ad quem lectorem ablegamus. *Fig.* 1. & 2.

Recta facie *Deum Baſilidis* Abracax Iao, cum 3. 4. 5.
Clypeo & ſcutica vel gladio nobis exhibet, cu- 6. 7. 9.
jus magni Numinis effigies geſtantibus vires & victoriam conferre credebatur: nec quicquam hic

TABVLA III.


1
3
2
4
ΜΙΧΑΗΛ
ΓΑΒΡΙΗΛ
ΟΥΡΙΗΛ
ΡΑΦΑΗΛ
ΑΝΑΝΑΗΛ
ΠΡΟСΟΡΑΙΗΛ
ΥΑΒСΟΗ
5
ΤΑΛΑ
ΑΡΑΙΩ
ΩΑΡΑΟΡΟ
ΝΤΟΚΟ
ΝΒΑΙ
6
ΙΑΩΑ
ΒΡΑСΑΜ
7
ΓΙ ΓΑΝ
ΤΟΡΗ
ΚΤΑ
8
9
ΙΑΩΛΗΗ
10

ſere diſcriminis eſt, niſi quod poſterior figura hanc inſcriptionem adjectam habet. *Domini fortitudo æterna*, & *Angelus Domini.* Averſa facies nobis repræſentat: Tertiæ quidem, *totum agmen corporum Cæleſtium.* Quarta *Septem Angelorum* nomina, qui ut Baſilides voluit, totidem cælis præſunt. Quintæ, inſcriptionem hanc, *Summo Marti omnia vincenti:* Sextæ, ABRACAX IAO, Septimæ, *Gigantum fractor*, Nonæ, ſacram *Ibidem* aſpectu volantis, & *Anubin* cum ſiſtro.

Fig. 8. *Serpentem* ſeu *aſpidem* repræſentat κυνόμορφον, cujus caput radioſo nimbo circumdatum, monſtrat numen Mercuriale, uti ex inverſis litteris patet, ubi legitur ANOYBEI. *Anubis.* Hæc Kircherus, ſed aliter hanc gemmam legit & expoſuit Chifletius, quem vide ſis.

10. *Mercurium* continet *bicipitem* cum duobus genijs, ſupra canales binos vaſis Nilotici ſtantibus.

ſere diſcriminis eſt, niſi quod poſterior figura hanc inſcriptionem adjectam habet. *Domini fortitudo æterna*, & *Angelus Domini.* Averſa facies nobis repræſentat: Tertiæ quidem, *totum agmen corporum Cæleſtium.* Quarta *Septem Angelorum* nomina, qui ut Baſilides voluit, totidem cælis præſunt. Quintæ, inſcriptionem hanc, *Summo Marti omnia vincenti:* Sextæ, ABRACAX IAO, Septimæ, *Gigantum fractor*, Nonæ, ſacram *Ibidem* aſpectu volantis, & *Anubin* cum ſiſtro.

Fig. 8. *Serpentem* ſeu *aſpidem* repræſentat κυνόμορφον, cujus caput radioſo nimbo circumdatum, monſtrat numen Mercuriale, uti ex inverſis litteris patet, ubi legitur ANOYBEI. *Anubis.* Hæc Kircherus, ſed aliter hanc gemmam legit & expoſuit Chifletius, quem vide ſis.

10. *Mercurium* continet *bicipitem* cum duobus genijs, ſupra canales binos vaſis Nilotici ſtantibus.

TABULA V.

Fig. 1. 2. 3. Figuræ tres priores *Iſidem* repræſentant diverſo aſpectu, cujus manum & brachium dextrum circumambit *ſerpens*, *ſitulam* gerit, ejuſque verticem ornat *Numidica guttata*, caput fovens expanſis alis.

4. 5. 6. Figurarum trium poſteriorum explicationem quod attinet, quia authoritate eorum deſtituimur qui id ex profeſſo egerunt, ut veſanam Ægyptiorum in fingendis talibus licentiam redarguerent, tutiſſimum viſum fuit id quod ſupereſt in medio relinquere, ne, quod fere fit, nobis applaudentes, noſtros ſenſus pro alienis, id eſt falſos pro veris erudito orbi obtruderemus. Tu benigne lector conatibus noſtris fave, & vale.

TABVLA V.



AUCTORES LAUDATI,

Interpretati ; correcti.

A.

ABidenus Mnaſeas. 71
Achilles ſtatius. 3.23.37.40,82.
Acta Apoſtolorum. 38
Ælianus. 5.13.18.23.26.29.30.35.36.37.38.40.41.42.43.45.46.48.49.69.70.72.76.77.79.80.
Ælius Lampridius. 11
Aldrovandus (Ulyſſes) 21
Aleander (Hieronymus) 65
Alexander. 56.60
Alpinus (Proſper) 53.81
D. Ambroſius. 8
Ammianus Marcellinus. 7.9.27.35.37.49.
Ananias. 31
Antoninus. 78.82
Antonius Auguſtinus. 10.70
Antonius Quærengus. 53.54
Appollodorus. 39.70
Appuleius. 2.8.9.11.14.18.16.22.27.29.35.45.51.93.68.74.83.
Ariſtoteles. 14.40.42.43.47.52.53.55.56.57.61.76
Arnobius. 10.32.34.51.64.66.72
Athenæus. 7.23.32.69.78.81
D. Auguſtinus. 8.85
Avienus. 63
Aulus Gellius. 7
Auſonius. 21.70

B.

BAronius. 31.73
Bellonius (Petrus) 48.70,72.
Budæus (Guil) 55.56.57,58.59.

C.

CÆlius Calcagninus. 28
Callimachus. 39
Callixenus Rhodius. 78
Caſſianus (Ioannes) 19.79
Caſſiodorus. 69
Catullus. 39
Cenſorinus. 40.73
Ciacconius. 19
Cicero. 4.5.14.73.76.77.78.81.
Clemens Alexandrinus. 2.10.23.

23.32.49.53.61.70.72.
73.76
D. Cyprianus. 8

D.

DAmaſcenus(Nicolaus) 71
Daniel. 23
Demetrius. 7
Dio. 11.13.21
Diodorus Siculus. 2.4.10.14.
22.23.30.32.35.38.41.
48.52.70.71.72.77.80
Diogenes Laërtius. 7
Dioſcorides. 28

E.

EDmundus Brutzius. 44
Empedocles. 51
Epiphanius. 28.31.44.51.
71.73.75.85
Eunapius. 75
Euſebius. 1.4.7.23.24.28.
30.32.38.40.44.48.49.
50.61.62.71.75.80.81

F.

FEſtus. 13.28.73
Fracaſtorius. 69
Fridericus Contarenus. 16
Fridericus Sylburgius. 71
Fulvius Urſinus. 39

G.

GAlenus. 57.60
Gaza. (Theodorus) 55.
56.57.58
Goropius. 9.14.17.20.29.50
Gregorius Nazianzenus. 62
Guilandinus (Melchior) 14
Guiljelmus Budæus. 55.56.57.
58.59.
Gyraldus. 4

H.

HEliodorus. 3.8.20.51.
77
Herodotus. 2.7.8.10.22.30.
31.32.33.36.37.41.44.
45.51.66.70.71.79.82
D. Hieronymus. 8.22.42.68.
71.82
Hieronymus Aleander. 65
Hieronymus Rubeus. 46
Horapollo. 10.19.28.40.43.
44.45.48.61.81.82
Horatius. 18
Hyginus. 31.32

I.

IAmblichus. 40.47.71
Ioannes Caſsianus, 19.79
Ioannnes Laurentius Anania, 71
Ioannes Leo Afer, 26.81

Ioannes Vincentius Pinellus. 17
Ioſephus. 5.7.11.26.41
Irenæus. 85
Iſidorus. 28.42
Iulius Capitolinus. 30
Iulius Pollux. 57.60
Iuſtinus Martyr. 8.31
Iuvenalis. 4.6.10.11.12.20.
21.27.35.41.63.66.77

L.

LActantius. 4.38.81
Leo Afer. 26.81
Liber Regum. 38
Liber Iudicum. ibid.
Lipſius. 17.23
Lucanus. 26.27
Lucianus. 2.6.10.21.22.31.
33.35.36.38.52.63.65.78
Lucretius. 34
Luctatius Placidus. 35.64
Ludovicus Barthema. 23

M.

MAcrobius. 2.13.21.23.
26,32.33.38.45.48.
49.51.69.73.78.79
Manilius. 42
Marcianus Capella, 3.4.35 40.
72.82
Marcus Velſerus. 1.14.16.47
Martialis. 20.66.68
Maximus Tyrius. 5.23.42.74
Melchior Guilandinus. 14
Mercatus (Michaël.) 70
Mercurius Triſmegiſtus. 7
Minucius Felix. 4.12,34.62.
63.64.73.83
Moyſes. 5.22.30.38.51

N.

NAtalitius Benedictus. 16
Nazianzenus. 21,32
Nicetas. 32
Nicolaus Damaſcenus. 71
Nicol. Fabricius. 16.20.31.52
Nonnus. 21.32.62.80

O.

OVidius. 23.26.27.30.
35.36.39.45.63.67.68

P.

PAlephatus. 7
Panuinius. 11
Pauſanias. 8.10.23.30.33.
34.36.43.69.81
Petronius. 32
Petrus Bellonius. 48.70.72
Philaſtrius. 85
Philoſtratus. 69
Phurnutus. 79
Pierius. 13.28.44.69
Plato. 2.33.84

Plautus. 10
Plinius. 9.11.13.14.15.20.
28, 29.33.35.36.37.39.
41.43.47.68.77.78.79
Plutarchus. 2.3.4.5.6.7.10.
14, 19.21, 22.24.25.30.
32.33.36.38.39.40.42.
43.44.48.49.50.51.61.
62.67.68.69.74.75.76.
Poliænus. 22.37.77
Pomponius Mela. 35.37.77
Porphyrius. 6.43.45.65.71.
Probus. 21.73
Propertius. 63.66.71
Proſper Alpinus. 53.81
Prudentius. 21.63
Pythagoras. 52.84

Q.

QUærengus Antonius. 53
Quintilianus. 76

R.

RAbanus Maurus. 23.42
Ramnuſius. 38
Rubeus (Hieronymus) 46

S.

SErvius. 2.11.26.63.67
Sextus Pompeius. 56
Silius Italicus. 23
Smetius. 11
Socrates Scholaſticus. 18.21 25
Solinus. 26.35.36.37.47.70.
Spartianus. 11.25.36
Statius. 3.23.37.40.82
Stephanus. 2
Strabo. 9.36.41.72.75
Suetonius. 7.12.15.35
Suidas. 2.7.29.32.45.50 56
Sulpicius Severus. 42
Sylburgius (Fridericus) 74

T.

TAcitus. 10 11.23
Tertullianus. 7.10 45.
62.63.65.85
Theodoretus. 6.7.22.32.35.
42.53.71.72.73 74 85
Theodorus Gaza 55 56 57.58
Tibullus. 10.22.36

V.

VAirus. 31
Valerius Flaccus. 27.68
Valerius Maximus. 14 23.30
Varro. 15.33
Virgilius. 2.6.11.34.63
Vitruvius. 13.75
Ulyſses Aldrovandus. 21

X.

XEnophon. 56.60

Z.

ZOroaſter. 62

INDEX RERUM.

A.

ABſinthium marinum Iſiacorum geſtamen. 28
Achelous. 30
Achilles Statius quid de Crocodili dentibus. 40
Accipiter qua ratione ſacer. 52. 62. 72
Adonia. 8
Ælianus reprehenſus. 69
Æris uſus in ſacris maxime probatus. 14
Ægyptiorum Deorum ſigna gracilia & cur. 13. compoſitis pedibus. 51. ad indigenarum ſimilitudinem efficta. 53
Ægyptiorum ſacra pleriſque irriſa 4. 5. 11. quando Romæ recepta. 11
Ægyptii primi ſigna Cœleſtia obſervarunt, 6. paſtores ovium deteſtati. 22. cum feris veſcebantur 7. quid à Judæis acceperint. 31. blæſi Ariſtoteli. 52. ut Oſirin exprimerent ſpeciem oculi delineabant. 32
Ægyptus portentorum mater, 5. in Ægypto Moyſes detrectat ſacrificare, & cur. *ibid.*
Ælurus. 40
Agathodæmones Dracunculi. 5
Alexander Abonotichita egregius impoſtor. 78
Allegoriæ Platoni improbatæ, 1. 60. cur inventæ. 1
Ammianus illuſtratus. 9. reprehenſus. 49
Animalia ſacra. 5. turbarum cauſæ. 41. 42. interemiſſe capitale fuit. 5. 77
Antonius Auguſtinus laudatus. 10
Anubis, 62. numen cœleſte, & terreſtre, idem qui Mercurius. 63
Apices tortuoſi, capreolatimque condenſi. 9
Apis quibus ſacer. 35. 38. à qua matre genitus. 35. quando ab Hebræis cultus. 38
Apidis Prophetæ mento raſo. 38
Appulejus declaratus. 9. 83
Aquæ effuſio ſolemnis in excitando Sarapide. 75
Area Iſidis. 11
Arnobius declaratus. 64
Arſinoitæ Crocodilorum cultores. 41
Aruſpices ex qua ſchola prodierint. 38
Aſinus Typhonis ſymbolum. 83
Aſpis Iſidis. 26. ſideribus quare comparata. 49

Aſta-

Aſtaroth, Sidoniorum Deus. 38
Auguſtus cur Apin adorare noluerit. 11

B.

Baal Sidoniorum. 38
Bacchus inventor ficus. 32
Baculi in æde Iſidis quare. 44
Baſilides magiſter luxuriæ. 84
Bacis, Taurus. 48
Baronius laudatus. 31.37.84
Barbatum monſtrum. 79
Baris, navis & mons. 71
Blæſi Æthiopes & Ægyptij Ariſtoteli. 52
Blæſitatis genera ſex. 59. hæc quid. 55.56
Boves quorum Dij. 38. bos fœmina. 79
Bibliorum luctus. 2

C.

Capræ quæ Iſidi in delicijs. 18. ab Ægyptijs cultæ. 72.73
Caprarijs honorem Mendeſij habuerunt. 22
Cæpe in veneratione apud Ægyptios. 6
Camos, idolum Ammonitarum & Moabitarum. 38
Capillitium Iſidis. 39
Calathus Iſidis Oſiridisque capiti ſuperimpoſitus cur. 49
Carpocrates inquinati & cœnoſi dogmatis aſſertor. 84
Carpocratiani. 73
Canopus. 75
Cambyſis ſtrategema. 77
Canes in pompa Iſidis. 80. Memphitici. 81. canes & Mercurius ſynonymi apud Ægyptios. *ibid.*
Cercopithecus ſacer. 21
Ceres eadem cum Iſide & Luna. 23.34.35
Cherintus peſtilens novator. 84
Cicuma. 28
Cleomenis Alexandrini vafrities. 42
Clyſteris uſum quis invexerit. 78
Coptitæ Crocodilorum cultores. 41
Conjectores. 38
Corona Teletarum è Palmæ folijs. 18
Cornua cur Iſidi attributa. 30
Cornutæ acies. 22
Cocinenſium Boves Dij. 38
Crux anſata & quare 17. inter ſacras literas ubi & quando inventa. 18.75
Crocodilorum cultores qui fuerint. 41
Crocodilus Solis ſymbolum & cur. 40. quibus ſacer. 41. crocodilus Typhon. 42
Crœſus quare Delphos Leonem aureum miſerit. 45
Crotalum à Siſtro diverſum. 67
Cucupha avis. 28.29

ejus honor in parentes. *ibid.*
Cynocephalus ſtans, 45. 47.
ejuſdem docilitas. 48

D.

DAgon Phœnicum Deus. 38
Darij ſtrategema. 37
Dij in animalia mutati,& cur. 6
Diabolus DEI æmulator. 31
Diana multimammia, 34. ejus Templum Bubaſti. 66
Diademata Regum Ægyptiorum. 46. DEI & ſanctorum. 47
Dionyſia. 32
Dracunculi Ægyptijs culti. 5

E.

EFfeminati ex qua ſchola prodierint. 38
Eleuſinia. 8
Eneph Deus. 6
Epheſiorum Diana. 34
Ethnicorum offuciæ. 76
Eumenuthis Canopi. 44. 75
Excelſa. 38

F.

FAna Iſidis & Serapidis ex S. C. ſolo æquata. 11
Fanatici. 38
Faria Ceres. 23
Faſcini ficulnei, & coriacei. 32
Faſcini Icones. 33
Faſcinus cxx. cubitorum. 32
Felis in cujus Dei peculio 61. 66
Ficus inventor Bacchus. 32
Fluvios cornutos coluit antiquitas. 30
Fridericus Contarenus laudatus. 16
Fronto quid Chriſtianis objecerit. 73

G.

GAlenus & Julius Pollux contemporanei. 57
Gnoſtici. 73
Goropius notatur. 9. 14. 50 fruſtra à Lipſio. 17
Gratiæ. 44
Gryps Solis animal. 29
Guil. Budæi ſententia refellitur. 58
Gyraldus arguitur. 4

H.

HAſta Oſiridis & Bacchi geſtamen. 21
Harpocratis Sacerdotes Buti. 51
Hebræi duræ cervicis, 38. ad profanos Ægyptiorum ritus converſi quando. *ibid.*
Hecate, ſeu Tithrambo. 44
Herodotus declaratur. 45. 51
Hieracoſphynx. 44
Hirundines Iſidis aves. 68
Hircus, 21. 73. biceps. 80
Hippopotamus. 82
Hydria in pompa Oſiridis & Iſidis. 75

I.

IBidis & Crocodili inimicitiæ, 43. 77. deſcriptio, 76. Manſio, 78. Clyſteris uſum invexit. 78
Ieroboam vitulos aureos in Bethel

thel & Dan conſtituit. 38
Ignorabiles literæ. 9
Ioannes Mocenicus laudatus. 16
Ioannes Vincentius Pinellus laudatus. 17
Iſis quæ. 2. 3. 10. 22. Ejuſdem Area, templa. 10. 11. veſtes multicolores. 19. ſtella. 31. cornuta cur. 30. mammoſa. 34. imaginem pudendorum Oſiridis divino cultu honeſtavit. 32. navigantium tutela credebatur. 10
Ithyphalli. 32
Ithyphallica. 8, 32
Iuvenalis declaratur. 10. reprehenditur. 66
Iul. Capitolinus illuſtratur. 30
Iuppiter ab Iſide ad greſſum expetitus. 50. Mundus vel mundi pars. 51. ejus oculus Sol. *ibid.* Heliopolitanus. 78.

K

KNeph Thebæis Deus. 6

L

LÆlius Paſchalinus laudatus. 16
Lanam Ægyptii oderant, & cur. 22
Leo ſub Ori throno. 44. cur. 45
Leonis vultu Sol. 64
Leo cur ignem paveat. 69
Leontopolis. 68
Lectus Sphyngopes. 78
Loti flos magnifactus. 33
Lupus Solis imago Delphis. 29
Luna Androgyna, & Lunus Deus. 13
Luci. 38
Lucianus explicatur. 2. 31
Lycius Apollo. Lycopolis. Lycoctonos. 79

M

MAmmæ Iſidis & Telluris. 33
Mammoſa Ceres. 34
Marcianus Capella declaratus. 35. emendatus. 40
Marcus Hæreticus. 84
Malabares boves venerantur. 38
Marcus Velſerus laudatus. 1. 14. 16.
Melampus. 2
Melchior Guilandinus arguitur. 14
Menſæ in Templis cui uſui. 13
Mendeſius Hircus. 21. 73
Mercurii faſcinus. 33. Hircus. 22
Menuphis, Taurus. 48
Melilotus. 69
Minucius Felix explicatur. 68
Mithriaca. 8
Mnevis Bos. 48

O Mo-

Moloch ſeu Melchon. 38
Modius, Sarapidis nota. 23. 31
Moyſes cur detrectaverit ſacrificare in Ægypto. 5
Myſteria Ægyptiaca ſilentio involuta, & cur. 7. 8.

N.

Natalitius Benedictus laudatus. 16
Navigium Apidis. 70
Nephtys. 44
Netyros, Neutos. 49
Neuroſpaſta. 33
Nigredo in Tabula frequens. 19. 20
Niloticorum Boum cornua qualia. 37
Nili alluvio. 80. 81. Nilus Deus. *ibid.* Nilus Oſiris. 3. 48. Nili fœtus. 69. Nilus Iuppiter Ægyptius. 81. Iſidis lacrymis auctus. *ibid.*
Noë arcam etiam hodie extare. 71
Numerus ſeptenarius ſacer. 35. ſenarius. 40
Numidica Iſidis avis. 43. quid ſignificarit. 44

O

Obeliſcorum notas qui veterum interpretati. 9
Ombitæ crocodilorum cultores. 41
Omophagia. 8
Onuphis Taurus. 48
Orus. 44. 45. Spurius. 50. Idem Bachus & Priapus. *ibid.* Ejus oculi Luna & Sol. 51. in gemma qualis. 52. decumbens. 78
Oſiris qui. 2. 3. Iſidis maritus, frater, filius. 4. cum triplici pene. *ibid.* ejuſdem apex. 18. 20. Teſtes oculati. 31. etymon. 44. idem qui Bachus. 23

P

Palmæ folia in quos uſus, eadem Bais. 19
Pamylia feſta. 32
Pan Mendeſ. 21. ejus victima apud Athenienſes. 22
Penis arrectus Oſiridis & Priapi quid ſibi velit. 24
Petrus Bembus Cardinalis laudatus. 12
Perſea Iſidi ſacra, & quare. 69
Peſſinuntia. 8
Phallagogia, Phallophoria. 32
Phœnicopterus Iſiaca avis. 20
Pictura Linearis cujus inventum. 13
Picturæ Crypticæ unde. *ibid.*
Piſcium cultus apud Ægyptios. 6
Plutarchi error. 82
Pluviale. 78

Porphyrii ridicula Philoſophia. 6
Porrum in veneratione apud Ægyptios. 6
Principia duo unde. 43
Prophetæ Apidis mento erant raſo. 38

Q.

QVintilianus illuſtratus. 76

R.

RAna Ægyptia. 48
Reëmphaam, Caldæorum idolum. 38
Rituales Ægyptiorum libri. 52

S

SArapis idem cum Oſiride. 2. 3. Iove, Æſculapio, Plutone. 23. in Gemma. 3
Satyrorum & Silvanorum conſecratio. 33
Scriptores rerum Ægyptiacarum. 7
Scarabæus. 43
Scorpius cui ſacer. 82
Seleucus inſanorum dogmatum aſſertor. 85
Serpens accipitriformis. 28. Iſidis Aſpis. 26. 27. 28. Serpens quorum cinctus & corona. 23. apud quos ſacra. *ibid.* & *ſeqq.*
Sidoniorum Baal. 38
Siſtrum quale. 67. Ejus figura expreſſa. *ibid.* Iſiacorum geſtamen. *ibid.*
Sirenes. 39. ex quibus natæ. *ibid.*
Socrates Scholaſticus notatus. 69.
Solis ad Lunam, & vice verſa, relationem nemo veterum non agnovit. 40. Sol Leonis vultu. 64
Sothis ſtella. 31
Sphynx. 70
Spicæ Iſidi adtributæ. 45
Statuæ Ægyptiorum numinum in digitis portatæ. 11
Strabo improbatus. 72
Suetonii locus expoſitus. 12

T

TAbula noſtra unde & qualis. 12. cujus opus, 13. quid contineat. 14. inexplicabilem aliqui putarunt. 8
Thebaïdos incolæ nullum Deum mortalem cenſebant. 6. *Eneph* ſeu *Kneph* venerabantur. *ibid.*
Theodoretus emendatus. 74
Theodorus Gaza arguitur. 58
Themis. Thermutis. Tithrambo. 44
Thmuis, hircus. 21
Thoth. Thoyt. Taaut. 81

Teſtes

Teſtes ſacravit Iſis. 32
Tituli ſpecioſi. 73
Tripos Accipitris. 72
Typhon 42. 82. 83. Fratris Oſiridis parricida. 32

V

Valentinus inſanorum dogmatum aſſertor. 84
Vaticinium Triſmegiſti. 7
Val. Maximus illuſtratus. 30
Veneris Cypriæ initia. 32
Veſta. 44
Virilium faſcinorum ſimulachra. 32
Vituli aurei Ieroboam unde. 38
Upupa. 29,44
Vulturis pennæ. 45

FINIS.

MAGNÆ DEUM MATRIS IDÆÆ & ATTIDIS INITIA.

Ex vetuſtis monumentis nuper Tornaci Nerviorum erutis.

Auctore

LAURENTIO PIGNORIO,
Canonico Tarviſino.



AMSTELODAMI,
Sumptibus ANDREÆ FRISI. M DC LXIX.

Ampliſſimis, Conſultiſſimis, Prudentiſſimiſque Viris,

DOMINIS,

D. GUILIELMO
&
D. PETRO } BLAEU,

I.U. DD.

Illi Reipublicæ Patriæ Ex-ſcabino, huic Collegij Tutorum Publicorum Secretario digniſsimo.

F. P.

NOn accuſandus, ſed damnandus ab amicitiæ præſidibus Dijs, à me, ab alijs forem, ſi MANUS has alteri, quam vobis, qui toties mihi ſynceri amoris indices dexteras porrexiſtis, offerrem, Amici integerrimi, fratreſque inter vos amiciſſimi. Quid enim eſt quod me apud Vi-

viros omni veneratione digniſſimos, & Piladææ noſtræ neceſſitudinis oculatos teſtes, abſolvere ab ingratitudinis vel incuriæ & oblivionis vitio poſsit, ſi nec familiariſsimum tempore quo Sacratiſsimus LEOPOLDUS Francofurti Imperator coronabatur, vobiſcum contubernium, nec eorum de tot ſerijs, de tot jocoſis inter nos celebratis teſtimonium; nec in itinere per Germaniam, Italiam, alias regiones ubique commune hoſpitium me permoveret, ut hocce munuſculum ad vos deferrem: vos inquam, quos novi elegantioris omnis diſciplinæ amorem hæreditario quodam jure à Parente Celeberrimo acceptum, perpetua talium lectione fovere, & favere ijs, qui ejuſdem inſtituti ſunt amantiores. Favorem hunc ego, me veluti mantiſſam mutui amoris, aucupari fateor, dum hanc occaſionem vos publice alloquendi vel capto vel arripio; ne memet ipſe damnare cogar neglectæ, aut certe minus cultæ amicitiæ. Suſcipe ergo haſce MANUS, & cum ijs dexteram, corque meum tibi oblatum

GUIL-

GUILJELME, eo vultu, quo omnes, Magiſtratus munia obiens, ad te accedentes miro tui amore accendis: ſuſcipe PETRE, ea benevolentiæ demonſtratione, qua Magnus ille Magni Etruriæ Ducis Filius, te nuper accipiebat, dum perpetuum ſibi Achatem in curioſa urbis noſtræ viſitatione eſſe volebat, & erit quod ego mihi gratuler in hoc faſtidioſo talium colligendorum, & emendandorum ſtudio me tantos tamque amicos inveniſſe patronos: quorum & publice probata integritas, & privatim conteſtata fides id jure meritoque mihi expoſcere videtur, ut ſim dicarque ſemper.

Amiciſsimi Fratres,

VV. AA.

Obſequio addictiſsimus

ANDREAS FRISIUS.

Le-

Lectori Laurentius Pignorius.

HÆc ſigilla quæ vides (amice Lector) extabant olim Tornaci, prope quod etiam effoſſa fuerant, apud Dionyſium Villerium Canonicum, virum eruditum. Fuerunt autem ex ære omnia, & è ſacrario (ni fallor) veteris alicuius Fani magnæ Deûm Matris, cujus religio videtur etiam eo pervaſiſſe; ab eo fortaſſe tempore, quo Galli, ut inquit Pauſanias, in Atticis, Peſſinuntem, ad montem Agdiſtin, nobile Atys tumulo oppidum cœperunt. Peſſinunte etenim Acdeſtis, Atys corpus ceremoniis annuis, & ſacerdotum antiſtitibus honoravit inquit Arnobius Lib. v. *nec non & Strabo Lib.* xij. *Claudianus in Eutropium, Lib.* ij. *Pauſaniæ dictum firmat,*

Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens
Illis, ante vagus, tandem regionibus hæſit,
Gæſaque depoſuit jam Grajo mitis amictu,
Pro Rheno poturus Halyn.

Attidis icunculam pauxillum argenti ornat ut dicemus: non dubio argumento & præclari artificis, quod loquuntur & ipſa oris lineamenta, & exiſtimationis in qua fuerit apud Sacerdotem aliquem, ſive apud procerum quempiam in Larario privato, & familiari. Et verò apud me etiam viſitur antiqua Pallas ærea, ſemipedis magnitudine, oculis, zona, & calceamentis ex argento inciſis: qua vix aliud vidi magis abſolutum in hoc genere veterum Sigillorum, quamvis etiam extent alicubi, ut vidimus olim, ſolido ex argento elaboratæ imagunculæ Martis & Fortunæ, rudiuſculæ tamen, & minus politæ. Et hæc ſane omnia Lararij vel Adyti alicujus inſtrumenta fuerunt ut dixi. Niſi malimus ad Initiatos referre, qui Initiorum quædam ſigna & monumenta, ſibi à Sacerdotibus tradita, ut ſcribit Appulejus in Apologia, quam vocant primam, ſeorſum ſedulo conſervabant. Et apud hos moribus fuerat receptum (eodem teſte) circumferre ſecum etiam peregre ſimulachrum alicujus Dei, ipſique diebus feſtis, thure & mero, & aliquando victimis ſupplicare. Quod & non omnino bene ceſſit Aſclepiadi Philoſopho apud Ammianum Mar-

Marcellinum Lib. xxij. *Verum hæc forte alias latius diſquiremus. Manus porro, dextra eſt; ita conformata, ut pollicem, indicem, & medium, ſive impudicum ſuſtollat, annularem & minimum deprimat, eo ſchemate, quo noſtræ Religionis Antiſtites populum olim ſolebant conſignare, quodque Pictores in effingenda CHRISTI domini dextera manu, ſacram Crucis teſſeram imprimente, mordicus retinuere. At quare manui hæc ſymbola inſculpta ſunt? an quia Diabolus jam tunc ſtuduerit elevare mira calliditate eum geſtum, quem Chriſtiani Sacerdotes adhibituri erant ſacro ſigno exprimendo? an quia in ea manu crederent Ethnici vivere Atydis minimiſſimum digitum, qui perpetuo agitaretur motu, ut ex veteribus Theologis tradidit Arnobius? an quia & Iſis, ut infra dicemus, manum ſacram oſtentaverit in pompa? Verum, quia viri eruditi arbitrati ſunt, hanc manum aliquando conſpicuam fuiſſe inter ſigna militaria, quod Aquilam fulminiferam in ſummis digitis prætulerit; dicemus Aquilam Legionariam fuiſſe auream non æream, teſte Dione Lib.* xv. *non quidem impoſitam digitis, ſed fulmen prenſantem unguibus, & ſtantem in ſumma haſta. ut paſſim oſtentant Denarij gentis Antoniæ: & alibi veteres nummi, ut apud Æneam Vicum in Galba. At aliquando cernitur ſine fulmine, ut perſpicue in vetere monumento M. Pompeij Aſpri, Romæ apud Cæſios, & in aliquibus Denarijs. Neque vero non erat hac noſtra major, utpote conſpicienda, & edito loco in ſummo haſtili ſtatuenda. At ſolitaria & fulminifera ſine haſta, viſitur ſæpe apud Gorlæum, media videlicet inter duo ſigna minora. Sed manui impoſitam (hac noſtra excepta) ego numquam vidi. Arulæ inſidentem vidi aliquando, Scipioni eburneo aliquoties, Globo non ſemel, Pyræ Cæſarum ſæpius. Manus vero erant quidem in Signorum (ut ita dicam) cenſu: at diverſa conformatione, ut in Nummis Trajani apud Æneam Vicum, & in Dactylotheca Gorlæi.*



LAURENTII PIGNORII PATAVINI

MAGNÆ DEUM MATRIS IDÆÆ & Attidis initia.

ATTIDIS nomine Phryges Solem venerati olim ſunt. Ita Macrobius lib. I. Saturn. c. XXI. & Macrobio antiquior Arnobius lib. V. extremo. Hujus Attidis, ſive Attinis fabulam qui cupit pervidere, is adeat Diodorum Siculum lib. III. Pauſaniam in Achaicis, Arnobium in principio lib. V. & Servium in IX. Æneïdos & è recentioribus Gyraldum Syntag. IV. Cartarium noſtræ editionis pag. 190. 191. 192. Ejus autem imago ea eſt quæ exhibetur, *ore* videlicet *excellentiſſimo*, ut ſunt Arnobij verba, & ſpecie inter virginem & puerum eximia. Catullus hoc idem voluit. carm. 64.

Quod enim genus figuræ eſt, ego quod non habuerim?
Ego mulier, ego aduleſcens, ego ephebus, ego puer,
Ego gymnaſij fui flos, ego eram decus olei.

Marcianus Capella lib. I.

Atys pulcher item, curvi & puer almus aratri.


Caput autem tectum mithra Phrygem indicat. Hi enim hoc pileo uſi ſunt, ut nos alibi latiùs oſtendedemus. Braccas, quas gerit indutui, vidimus in vetere Ara, quam primus JACOBUS MAZOCHIUS publicavit, in qua Attis Pinui innixus Cybelem aſpectat. Reliquum veſtis diductum & ſinuatum videtur mihi non carere myſterio, ut quod ſui ambitu & patore malum Punicum referat, cujus ſpecie capta mater Attidis Nana facta fuerit prægnans, uti ſcriptum reliquit Arnobius. Porro digiti dexteræ manus, index & impudicus virilia oſtendentes eo alludunt, ut commonſtrent maſculum pudendum, Deum matris delicias illas luctuoſas. Monile verò, Cingulum, & Fibulæ Braccarum (ſiquos hoc etiam ſcire delectat) inciſa ſunt omnia ex argento. Et hæc quidem quoad Attidis imaginem ſatis. Manus ærea, cùm inanis ſit, minimeque ſolida, neque videatur adhæſiſſe trunco brachij, ideo fabrefacta forſan fuit, ut ſceptro, vel haſtili non ita magno inſereretur. Cui uſui? inquies. Vt præferretur in pompa ipſi matri Deum. Qua plane ratione Antiſtitum unus Iſidi prægeſtabat, *Æquitatis indicium deformatum manum ſiniſtram porrecta palmula*, ut ſcribit Appulejus libro XI. Metamorphoſeon. Et ſanè Iſidis ſacra non abierunt à myſteriis matris Deum. VLPIVS enim EGNATIVS FAVENTINVS PATER ET HIEROCERYX D. S. I. M. fuit etiam ſacerdos Iſidis: & C. MENATIVS SEVERVS matri Deum & Iſidi fanum refecit: ut minime mirum ſit hanc manus prælationem utrobique fuiſſe receptam. Addamus quod

Manus cui uſui fabricata.

OCTA-



Octavius Rossius monuit in operoſo illo & erudito volumine,quod appellavit antiqua Brixiæ monumenta, in ſumma haſta ſimulacri Tillini, indigenæ numinis,ſtetiſſe manum æream huic noſtræ non valde abſimilem.



Jam in manu quæ comparent explicabimus, ſi licebit per genium Antiquitatis. Carpum ipſius circumambit Draco variegatus & caput criſtatus. Et profectò in veteri ſigno marmoreo,quod extat Romæ in hortis Julii III. extra portam Flaminiam, & edidit Joannes Georgius Herwartus, truncum, cui innititur Attis,circumſerpit Draco, punctis tergum interſtinctus, non tamen criſtatus. Eſt autem Draco inter præcipua ſolis argumenta, inquit Macrobius. Et in ſacris Sabadijs Draco myſticus celebris eſt. Quæ quidem ſacra minime diſparata fuerunt ab his noſtris Initijs, ut argumento eſſe poteſt imprecatio illa apud Appuleium, & quidem ſemiviri unius ex hoc grege : *At te cadaver ſurdum & mutum, deli-*

Draco.

delirumque præconem, *omnipotens & omniparens dea* SYRIA, *& ſanctus* SABADIUS, *&* BELLONA, *& mater* IDÆA, *cum ſuo* ADONE VENUS *domina*, *cæcum reddant*. Strabo clariſſimè libro X. καὶ ὁ Σαβάζιος ἓν τῶν φρυγιακῶν ἐστι. Et infra ταῦτα γάρ ἐστι Σαβάζια, καὶ Μητρῷα. Lucianus in Icaro-menippo. *Iam enim cenæ tempus erat*, *meque Mercurius arreptum juſſit accumbere juxta Pana*, *& Corybantas*, *& Attin ac Sabazium*, *inquilinos iſtos & ancipites Deos*. Idem in Deorum Concilio, *atqui*, *ô Iuppiter*, *Attis ille & Corybas*, *& Sabazius unde nobis tandem accerſiti veniunt?* Cur autem caput Draconis baſim pollicis obſideat, inde videtur factum, quòd pollex (ut ſcriptum reliquit Atteius Capito) *qui nomen ab eo quod pollet accepit*, *nec in ſiniſtra ceſſat*, *nec minus quàm tota manus in officio eſt*. Quæ omnia Solis pollentiam *vigilemque laborem*, ut canit Prudentius, mirifice mihi exprimunt. Infra volam manûs cauda Draconis ſiſtitur, è cujus regione ſurgit flagrum manubriatum (ut mihi quidem videtur) & ea profecto ſpecie, qua cernitur geſtari à Sole in nummis Elagabali, Alexandri, * Gallieni & aliorum Auguſtorum, cum inſcriptione ORIENTIS, SOLIS COMITIS &c. Prudentius contra Symmachum, lib. 1. *Flagrum manubriatum.*

Hoc ſidus currum, rapidaſque agitare quadrigas
Commenti, & radios capitis, & verbera dextræ,
Et frænos faleraſque & equorum pectora anhela, &c.

* *Gallieni certe nummus flagrum cum manubrio. Maximini præter flagrum ipſas etiam quadrigas frænoſque faleraſque & equorum pectora exhibet, effigiem cui commodum eſt videat quam pagina ſequenti expreſſimus.*



Niſi vero dicamus flagrum eſſe ex diſciplina Gallorum. Appulejus lib. VIII. *Arrepto denique flagro, quod ſemiviris illis proprium geſtamen eſt, contortis tæniis lanoſi velleris prolixè fimbriatum, & multijugis talis ovium teſſellatum, indidem ſeſe multinodis commulcat ictibus: Mira contra plagarum dolores præſumptione munitus.*

Ovidius lib. IV. Faſtorum.

Exululant comites: furioſaque tibia flatur;
Et feriunt molles taurea terga manus,

Et hæc eſt, quæ apud Juvenalem ſubſtantivè, ut loquuntur Grammatici, Taurea eſt, Sat. VI.

---------- *Taurea punit*
Continuo flexi crimen, facinuſque capilli.

Teſtudo. Supra flagrum repit Teſtudo, quæ an aliqua ratione Cybelen attingat mihi prorſus incompertum eſt; niſi

niſi huc illatam velimus quòd nuptias averſaretur. Servius è membranis Fuldenſibus in I. Æneïdos. *Virgo quædam nomine Chelone, linguæ impatiens fuit. Verum cum Iuppiter Iunonem ſibi nuptijs jungeret, præcepit Mercurio, ut omnes deos vel homines, atque omnia animalia ad nuptias convocaret. Sed omnibus quos Mercurius monuerat convenientibus, ſola Chelone inridens & derogans nuptijs, nectens moras adeſſe contempſit. Quam cum Mercurius non veniſſe notaviſſet, denuo deſcendit in terras, & ædes Chelonis ſupra fluvium poſitas, præcipitavit in fluvium, ipſamque Chelonem in animal ſui nominis vertit, quam nos latinè Teſtudinem dicimus: fecitque ut pro pœna dorſo tectum, velut damnum ſuum prona portaret.* Ita Servius. At nuptias Attidis ipſa etiam Cybele averſabatur. Arnobius libro citato, *verum etiam mater adoleſcentuli fatum ſciens, interque homines illum tamdiu futurum ſalvum, quamdiu eſſet ſolutus à* MATRIMONII *fœdere, nequid accideret mæſti*, &c. Sunt qui illud ex Pacuvio ſuggeſſerint.

Sanguine caſſa, domiporta, TERRIGENA, &c.

MARTINUS quidem SANDELLIUS amicus noſter, multarum atque adeò reconditarum litterarum notitia inſignis, arbitrabatur Teſtudinem hic expreſſam fuiſſe, veluti notam ſilentij & Taciturnitatis, quibus imperatis Initiorum olim omnium myſteria obſignabantur. Et ſanè extabat, nt narrat Pauſanias in Eliacis, ſignum Veneris cœleſtis, Phidiæ

opus,

opus , quod altero pede Teſtudinem premebat. Hanc nonnulli arbitrati ſunt ideo adhibitam, quod ſilentium indicaret , tanquam locupletem muliebris formæ dotem , & unicum veluti cenſum. Teſtudo enim præter valde tenuem ſibilium, eumque abruptum, nihil præterea vocis habet. Inde rectè eſt apud Sympoſium.

Viva nihil dixi, quæ ſic modo mortua canto.

Accedit ejuſdem ingenium, quo ſe totam abdere, & aſpectui ſubtrahere conſuevit. Eximiè ad myſteriorum (ut ipſi quidem rebantur) vim ſeorſum habendam, & profanorum oculis eripiendam. Virgilius de hiſce noſtris in II. Æneïdos.

-------- *Hinc fida ſilentia ſacris.*

Ubi Servius, & Jul. Pomponius Sabinus, cujus hæc ſunt: *Nefas erat patefacere ſacra Cybelis, tantum paucis nota erant. Sic juſſit ipſa Cybele, cum erudiret Idæos Dactylos, & doceret initiandi morem. Diodorus ait, morem initiandi , quem Dardanus accepit à Iove, nefas erat aperire niſi initiatis, ideo fida ſilentia.* Addamus ſimilitudinem etiam quamdam cognominum interceſſiſſe. Vt enim Cybele, φερέπολις , & πυργοφόρος , ita hæc noſtra φερέοικος , & domiporta dicta eſt. At hæc tamdiu placeant, quamdiu prodeant meliora certioraque. Pilei & ipſi ad normam eorum quos geſtant Caſtores & Dioſcuri, fabrefacti, ad Rheam ideo ſpectant, quia Samo-thracum Deorum, Curetum, Corybantum, Cabyrorum

byrorum geſtamina videntur fuiſſe, & Caſtores ipſi affines hiſce omnibus fuerunt, ut ex ijs, quæ habet Strabo libro X. & ex Vectio Baſſo in Arateis Phænomenis, & Hugonis Grotij notis ad Syntagma Arateorum conjicere eſt. addamus porro & apud Cephalenſes MAGNOS DEOS appellatos fuiſſe, ut notat Pauſanias in Atticis. Quæ fuit legitima Magnæ Deum Matris, & Attinis nomenclatura, ut indicant veteres Inſcriptiones. Servius ad III. Æneïdos hæc habet, *Varro unum eſſe dicit Penates & magnos Deos. Nam & in baſi ſcribebatur* MAGNIS DIIS. *Et idem Varro & alij complures magnos Deos affirmant ſimulacra duo virilia Caſtoris & Pollucis, in Samo-Thracia ante portum ſita, quibus naufragio liberati vota ſolvebant.* Macrobius libro III. Saturn. capite IV. addit, *Varro humanarum II, Dardanum refert, Deos Penates ex Samo-Thrace in Phrygiam, & Ænean ex Troia in Italiam detuliſſe, &c.* Crux ipſa in ſummis Pileis quo pertineat mihi incompertum eſt. Apparet certe in Geminorum Pileolis apud Aratum, ex editione Cl. Viri Hugonis Grotij, qui minus recte, mea quidem ſententia, torulum interpretatur. Torulus enim Plautinus ſub Petaſo fuit. At hæ Cruces in ſummo Pileo. Torulus autem videtur effictus in vetere Nummo, qui eſt Mercurij apud me.



Suos igitur Caſtoras habuerunt & Phryges ipſi. Luna excreſcens vel illam narratiunculam, fabellam verius, exprimit, quam Diodorus Siculus ex Atlantidarum theologumenis compilavit, vel Attidis myſticum ornatum, qui in nummis aliquot veteribus cernitur, hujus lunaris ſectiunculæ ad pectus ejuſdem adfixæ.



Virga. Virga, ſive illud ſceptrum ſit, Pinea inſignitum, poteſtatem Solis aſſerit, qui cuncta moderatur. De nuce Pinea inferius ſuo loco agemus.

Manus extimam partem ornant proximæ à capite *Tibiæ.* Draconis Tibiæ, quarum altera videtur expreſſiſſe acutum tinnitum, altera gravem bombum, ut loquitur Appuleius. Et Tibiarum fuit inventor Marſyas, ſi Dio-

ſi Diodoro credimus, qui Cybelæ amicus fuit. Varro apud Servium lib. IX. Æneïdos non admodum graphicè ad picturam noſtram; *Tibia Phrygia dextra unum foramen habet: ſiniſtra duo, quorum unum acutum ſonum habet, alterum gravem.* Servius magis appoſite, ad illud ex Æneïdos IX.

------ biſorem dat Tibia cantum,

Biſonum, imparem. Et ſervavit eis Tibiarum ſuarum, ideſt Phrygiarum naturam. Tibiæ aut Serranæ dicuntur, quæ ſunt pares, & æquales habent cavernas. Aut Phrygiæ quæ & impares ſunt, & inæquales habent cavernas. Poſt Tibias Cymbala & Siſtrum in conſpectu ſunt. Illa eadem penè figura viſuntur etiam Romæ, in veteri ara marmorea, quam citavimus, apud Cæſios, ſecantia decuſſatas faces. Virgilius in IV. Georg. *Cymbala & Siſtrum.*

Tinnituſque cie, & matris quate Cymbala circum.

Ubi hæc Servius; *Matris Cymbala: quæ in ejus tutela ſunt, ideo quod ſimilia ſunt hemiciclis cæli, quibus cingitur Terra, quæ eſt mater Deorum.* Hæc Martialis libro XIV. 202. appellat Æra quod ærea eſſent.

Æra Celenæos lugentia matris amores
Eſuriens Gallus vendere ſæpe ſolet.

Idem lib. V. 41.

Et concubino mollior Celenæo,

ubi non parum mihi ſubit mirari, cur Martialis Celænas immiſcuerit ijs, quæ Peſſinunte celebrabantur. Diſtant enim Sangarius & Marſyas non minimo terrarum tractu, ut ex tabulis Geographicis patet, & Claudiani Carminibus, lib. II. in Eutropium.

Sangarium, vitrei puro qui gurgite Galli
Auctus, Amazonij defertur ad oſtia Ponti.
Icarium pelagus, Mygalæaque littora juncti
Marſya, Mæanderque petunt -----

At hæc ſollemne eſt Poëtis confundere, Niſi dicamus, Celenæos tranſtuliſſe ad ſuam regionem haſce omnes religiones, æmulatione quadam, ut olim fiebat, Civitatum; & cujus non parva extant veſtigia apud veteres auctores. Alioqui apud Peſſinuntem & Dindyma ſtata & legitima fuerunt hæc ſacra. Ammianus Marcellinus, lib. XXII. unde dextrorſus: itinere declinato, Peſſinunta convertit, viſurus vetuſta Matris magnæ delubra, &c. Et antiquum Epigramma.

Qui colitis Cybelen, & qui Phryga plangitis Attin
Dum vacat, & tacita Dyndima nocte ſilent,
Flete meos cineres &c.

ubi notandus eſt ploratus, appoſite ad æra lugentia Martialis. Attis enim plangebatur, ut & Oſiris, & Adonis. Quod & Julius Firmicus notavit; *lugete Liberum, lugete Proſerpinam, lugete Attin, lugete Oſirin, ſed ſine noſtræ contumelia dignitatis.* Eſt autem proſopo-

ſopopœia Solis loquentis, adverſus eam hæreſin, quæ Macrobij tempore viguit, Solem ipſum in varia numina dividentem. Siſtrum ad Iſidem pertinet, neque ideo abludit à magna Matre. Marcianus enim Capella libro II. in lunari circulo ſtatuit Siſtra Niliaca, Eleuſinam lampada, Arcum Dictynnæ, & Tympana Cybeleia. Mentulam illuſtrant illa Arnobij. *Dicite, ô iterum, ergone Deum Mater genitalia illa deſecta cum floribus, ipſa per ſe mœrens officioſa ſedulilitate collegit, ipſa ſanctis manibus, ipſa divinis contrectavit & ſuſtulit flagitioſi operis inſtrumenta fœdique?* &c. Culter (ſi modi is culter eſt; æmulatur autem falcem vinitoriam, quam delineavit Columella) non aliò referendus eſt, quàm ad exſectionem virilium. Juvenalis. Sat. II. *Mentula.* *Culter.*

Quid tamen expectant, Phrygio quos tempus erat jam
More ſupervacuam cultris abrumpere carnem?

Cultri autem figuram exhibet antiquum marmor, Capuæ; apud Gruterum 640. 11. utebantur verò Coqui Cultro. Plautus, Aulularia. Ev. *quia Cultrum habes* Con. *Cocum decet* Venatores etiam, Martialis Lib. I. 115.

------ *Stupuitque ſuperbus*
Venator, cultro nil ſupereſſe ſuo.

Et hos Seceſpitas appellant noſtri Antiquarij, non omnino malè. Teſtula alioqui uſum fuiſſe Attinen notat Arnobius, & ſilice ante Arnobium Catullus.

Divellit illa acuto ſibi pondera ſilice.

Cithara De cithara ſuperfluum videtur ut ſermonem inſtituamus, ea enim Solis & Apollinis geſtamen eſt ſatis notum. Virgilius lib. XII. Æneïdos.

Ipſe ſuas artes, ſua munera lætus Apollo.
Augurium Citharamque dabat -----

Et Apollo magnæ Matris amaſius fuit, teſte Diodore Siculo. *Gladius.* Quod ſequitur ſtatuemus eſſe Gladium, quo uſi ſunt Galli, ad brachia ſibi quiſque diſſecanda: in pompa nimirum & lymphato illo diſcurſu. Apulejus lib. VIII. Lucretius lib. II.

Telaque præportant violenti ſigna furoris
Ingratos animos, atque impia pectora volgi
Conterrere metu quæ poſſint numine divæ.

Cæterum antiqui gladiorum capulos, & infima vaginarum ita frequenter ornarunt ut hic videmus, cum tamen gladij mucro in acumen deſineret, neque eſſet arcuatus, ut plerique arbitrantur. Et hoc ſchemate conſpiciebatur antiquus Gladius, apud LÆLIUM PASCHALINUM Romæ, ut nos non ita pridem vidimus, & alij non ſemel. Gladij porro uſum & primum inventum Diodorus ad Curetas refert, lib. V. Biblioth. At Curetes cum Idæis Dactylis & Corybantibus non ſemel confundunt veteres auctores, Strabone etiam teſte.

Ser-

Servius eximiè ad lib. III. Æneïdos *Alij tradunt, Curetes & Corybantes, matris Deum miniſtros, cuſtodes ſicut dictum eſt pueri Iovis, ad plurimas res maximi uſus hominibus extitiſſe.* Claudianus libro ſupra citato,

Interea gelidæ ſecretis partibus Idæ
Dum ſedet, & thyaſos ſpectat de more Cybelle,
Curetumque alacres ad tympana ſuſcitat Enſes.

Et lib. II. de raptu Proſerp.

Seu tu ſanguineis ululantia Dindyma Gallis
Incolis, & ſtrictos Curetum deſpicis Enſes.

Forceps quæ ſubſequitur Vulcanum indicabit, quem Pileus & Tenax (nos Italicè *Tenaglia*) inſigniverunt apud veteres; ut in Aureliæ & Cæſiæ gentis Denaris adnotatum eſt. At Vulcanus Cælo natus, cujus meminit Cicero *lib. III. de Nat. Deorum*, Cybelen cognatione aliqua videtur attigiſſe. Et certè Marcianus Capella Terræ patrem Vulcanum nominat. At Terra magna mater fuit. Lucretius. *Forceps.*

Quare magna Deum mater, materque ferarum
Et noſtri genitrix hæc dicta eſt corporis una.

Summum faſtigium Pollicis digiti inſidet nux Pinea, qua Iſiacos uſos fuiſſe ſcribit Ælius Lampri- *Nux Pinea.*

pridius *in vita Commodi Imperatoris.* Ut ex hoc etiam capite liqueat, quod ſub initium hujus commentatiunculæ monuimus, indiſcretas fuiſſe horum numinum apud antiquos rationes. Satius lib. X. Thebaid.

Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, contemptaque brachia ferro
Scire vetat. quatit ille ſacras in pectora Pinus,
Sanguineoſque rotat crines, ac vulnera curſu
Exanimat, pavet omnis ager, reſperſaque cultris
Arbor, & attoniti currum erexere leones.

Ubi videtur falſus Luctatius Placidus, qui Pinus ſacras conſecratas faces interpretatur. Pinus autem arbor in penetralia templi Matris Deum inferebatur, in Attidis memoriam, ut ſcribit Arnobius lib. V. non ſemel. Quod nimirum ſub ea Attis virum exuiſſet, vel trunco illo induruiſſet, ut canit Ovidius lib. X. Metamorph. Inferebatur verò lanarum velleribus ſtipitem circumvoluta, & ramulos redimita & compta violaceis coronis. Dies autem ſtatus & ſolemnis hujuſce illationis fuit XI. Kal. Aprilis, ut ex vetere Kalendario Conſtantiniano me docuit Hieronymus Aleander, cujus docti & eruditi in illud idem commentarij propediem prodibunt. In eo eſt legitima hæc feſti diei formula Arbor Intrat. unde natum videtur gloſſema Luctatij ad illa Statij.

Reſper-

------ *Reſperſaque cultris,*

Arbor. -----

ARBOR. *Pinus , quæ colitur in ſacris Matris Deum, ſub qua jacuit Attis, Matri Deum dilectus.*

Servius ad illa IX. Æneïdos.

Pinea ſylua mihi multos dilecta per annos

Scripſit, congrue nam Pinus in tutela Matris Deum eſt. Quem imitatus eſt Claudianus Lib. I. de raptu Proſerpinæ.

----- *Templique colendi.*
Relligioſa ſilex, denſis quam Pinus obumbrat
Frondibus, & nulla lucos agitante procella
Stridula coniferis modulantur carmina ramis.
Terribils intus Thyaſi, veſanaque miſto
Concentu delubra gemunt, ululatibus Ide
Bacchatur, timidas inclinant Gargara ſylvas.
&c. graphice.

In eadem media ſimulacrum juvenis ſubligabatur (inquit Jul. Fermicus) Attinis videlicet: idque ex Dei fortaſſe monitu, ut ſcribit Diodorus Siculus. Hinc Pinus in tutela Cybeles fuit. Phædrus lib. III. Fabular.

----- *Quercus Iovi,*
Et Myrtus Veneri placuit, Phæbo laurea,
Pinus Cybelæ, Populus celſa Herculi.

Pinus autem figura, ut in marmoribus & gemmis olim hæc fuit.



Expreſſit vero hic Artifex Virgilianum illud ex Ecl. VII.

Hic arguta ſacra pendebit fiſtula Pinu.

& illa Macrobij Lib. I. Saturnal. cap. 21. *Solem vero ſub nomine Attinis ornant Fiſtula & Virga.* Ad nucem Pineam ut revertamur; extat apud Macrobium inſignis jocus Caſcellij I. C. qui conſulenti an nux Pinea Pomum eſſet, reſpondit, Pomum futurum, ſi in Vatinium miſiſſet. Libro II. Saturn. cap. 6. At ſine exceptione pronunciavit Martialis Libro. XIII. 25.

Poma ſumus Cybeles, procul hinc diſcede Viator,
Ne cadat in miſerum noſtra ruina caput.

Cybele autem dicta eſt à monte Cybelo, ſeu Cybele. Virgilius Libro III. Æneïdos.

Hinc Mater cultrix Cybeli. ------

& Ovidius in IV. Faſtor.

Inter ait viridem Cybelen, altaſque Celenas.

Im-

Impoſuit autem pictor, ſive alius quiſpiam Gabrieli Simeonio, & Jo. Georgio Herwarto, ut alia ſpecie nobis exhiberent ex marmore Pennensi, inter Massiliam, & Aquas Sextias eruto. Indicem & impudicum digitos, ut ex fragminibus etiam nunc apparet, obſidebat olim Aquila, quæ fulmen unguibus prenſabat. Illa Jovem utique ſignificavit, qui Agdiſtis, ſeu Acdeſtis pater fuit; cujus cruore extitit repente (ut diximus) malum Punicum, quo in ſinu repoſito, concepit Attidem mater. Manus autem hæc geſtu & conformatione, dextram Attinis exhibet, ut videmus in ſigno una cum ipſa eruto. Neque abſurdum erit opinor excurrere tantiſper hìc, & emendare inſignem Ulpiani locum, in quo de magna Matre agitur; ut in priſtinum nitorem reſtituatur qui hactenus in mendo delituit, ad ſpeciem elegans, & elaboratus. Huic ego larvam omnium primus forte detraxero. Locus eſt in libello, cui titulum adſcripſerunt, Inſtitutionum ſeu Titulorum, ex corpore Ulpiani, Lemmate, *Qui heredes inſtitui poſſunt.* Recenſet ibi I. C. Deos illos, quos ex Senatusconſulto ſeu Conſtitutionibus Principum, heredes licebat inſtituere. Enumerat vero *Iovem Tarpejum*, *Apollinem Didymæum*, *Martem in Gallia*, *Minervam Ilienſem*, *Herculem Gaditanum*, *Dianam Epheſiam.* Húcuſque recte omnia; porro adjungit *Matrem Deorum Cybelem*, *eam quæ Smyrnæ colitur.* Cybelen hanc ne fanaticus quidem ullus ſomniavit umquam. Quid enim Ulpiano,

cujus proprietatem atque elegantiam viri docti ſuſpexerunt, cum poëtica illa voce, quæ tautologian etiam invito exprimeret? At verò cordatus neſcio quis (IO. TILIUS fortaſſe) cui pleroſque veteres I. C. ferimus acceptos, quique hunc librum primus edidit, manu ſcripti codicis ſcripturam bona fide exhibuit multis in locis. ingenuè, hoc & religiosè. Vidit enim vir eruditus quiſquis ille fuit latitare neſcio quid ſub ea Librarij manu, quæ haſce litterarum notas deſcripſerat, MATREM DEORUM SIPELENSIM QUÆ HYSMYRNE COLITUR. Hæc antiquæ lectionis altius impreſſa veſtigia eò primùm me traduxerunt, ut cogitarem ſcripſiſſe Ulpianum MATREM DEORUM SIPYLENSEM, ISIN QUÆ *S*MYRNÆ COLITUR. Neque omnino mala hæc mihi divinatio videbatur, conjectanti τὸ ISIN, ex Librarij oſcitantia, & Litterarum cognatione, antecedentis dictionis extrema, antiquo & alibi ſæpius prodito vitio invaſiſſe. Aderant meæ emendationis rationes ut ſane opinabar ſatis exquiſitæ. Pauſanias in primis eruditus antiquitatum indagator, Lib. III. Magneſios teſtabatur, qui in Sipyli parte Aquilonari ſunt, ſignum Matris Deum adſervaſſe, longe omnium quotquot extabant antiquiſſimum. Hujuſque antiquitatis vel Senatum vel Principum aliquem rationem habuiſſe ut mihi perſuaderem, Aſylorum jure vetuſtati plerumque innixa, ut apud Tacitum, à ſimili compellebant. Accedebant præterea Magnetum merita, qui in bello, quod Populus

pulus Romanus adverſus Mithridaten geſſit, egregiam operam navarunt. Jam verò quod ad Iſiden attinet, quæ Smyrnæ coleretur, retulerat pridem in litteras Ariſtides, Sacror. ſerm. III. & Sacerdotem & Templum Iſidis Smyrneæ, in quo ipſe Iſidem, & Sarapidem, anſernis hoſtijs exoraſſet. Neque verò permovebant me aliquorum voces, abſonum videri Ægyptiam ſuperſtitionem adeo probatam Ulpiano, ut inter majorum gentium Deos Iſin adnumeraret. Succurrebat enim, id non Juriſconſulto ipſi, ſed Senatui, Principibuſve, qui ſuperſtitionibus indulſiſſent, vitio vertendum. Fungi ipſum enarratoris munere non philoſophi. Quæ ſi non placerent; non eum eſſe me, qui miraretur hominem Chriſtianis infenſum, Deorum cultui plus nimio addictum, ſordida monſtra ſcriptis ſuis intexuiſſe. Hoc nimirum jure obtigiſſe

His quibus exactas placuit ſervare tenebras,
Splendentemque die medio non cernere Solem.

ut miſſum faciamus, Ulpianum Præfectum Prætorio fuiſſe ejus Principis, qui *Iſium & Serapium* (Lampridij verba ſunt in Alexandro) *decentur ornavit.*

Neque vero inficias iverim, non diſplicuiſſe mihi emendationem alteram, ab antiqua ſcriptura minimum abeuntem: ea fuit, MATREM DEORUM CYBELEN ISIN QUÆ SMYRNÆ

COLITUR. ita tamen ut Cybeles cognomentum topicum fuerit. de quo Piſander apud Stephanum in ΚΥΒΕΛΕΙΑ, Strabo Lib. XII. Diodorus Siculus Lib. III. Suidas & alij. Hæc ut dixi ſpecioſa & vera videbantur, quæ etiamnum videntem meliora probantemque alliciunt tamen. Verum, ut ſunt poſteriores curæ meliores, commodum occurrit Ariſtides, qui non ſemel in Sipylo Smyrnam illam antiquam, ibidemque Jovis matrem, Deorum thoros, & Corybanum choros recenſuit. An idem ſibi voluit Plinius Lib. XIV. cap. IV. *naſcitur* (Maroneum) *Smyrnæ regione, juxta delubrum Matris Deum?* Antiquiſſimam autem religionem Smyrnæi videntur in novam urbem tranſtuliſſe, & veteri ſervato loci cognomine, in Metroo excoluiſſe. Neque vero meritis in Pop. Rom. Smyrnæi Magneſijs erant poſthabendi, ſi Cornelio Tacito credimus. Legamus igitur MATREM DEORUM SIPYLENSEM, quam ut ſecerneret Ulpianus ab ea, quæ apud Magneſios colebatur, adjecit, QUÆ SMYRNÆ COLITUR.

A P-

APPENDICULA.

LIlius Gregorius Gyraldus vir ſane accuratiſſimus proprio Syntagmate de Rhea & Ope, multa diſſeruit, quæ eruditum Lectorem inſtruere poſſunt. Nos hic Analecta quædam dabimus eruta è varijs Inſcriptionibus Marmorum & Nummorum. Itaque monemus primum Ant. Auguſtinum Dial. V. hanc epigraphen D.M.M.I. recte inter- I.
pretatum eſſe *Deum matri magnæ Idææ*, minus recte *Deæ magnæ matri Iſidi.* marmor enim præſefert Cybelen non Iſidem. Licet enim hæc myſteria (ut non ſemel monuimus) coaluiſſent, ut ſatis ſuperque indicant carmina Cypriani, ſeu Tertulliani, ad Senatorem apoſtatam; tamen Iſis alio cultu, & ſchemate fingebatur. Monemus ſecundo Pierium Vale- II.
rianum virum impenſe doctum lib. 39. Hieroglyphic. recenſuiſſe Nummum Fauſtinæ Auguſtæ cujuſmodi & nos olim habuimus, in cujus averſa ſuperficie ſpectabatur Cybele Leoninæ inſidens ſellæ, ſphæramque inter manu & genu continens, cum nonnulla hallucinatione. Non enim ſphæra, ſed tympanum eſt certo certius. Monemus tertio Adolphum III.
Occonem Pierij auctoritati nimis in hoc detuliſſe, in ſuis Numiſmatibus, cum poſſet nummum inſpicere, & tympanum adnotare loco ſphæræ At Catalogo, quem recitat Servius MAGNOR. DEORUM IV.

Lib.

Lib. III. Æneïdos ex variorum Auctorum ſententia, adjungi poſſunt Mater Deum & Attis, quibus duo monumenta poſita ſunt ſub hac inſcriptione DIS MAGNIS, apud Gruterum 27. 4. & 28. 2. porro Idæam appellarunt ab Ida vel Cretæ vel Troiæ; utrobique enim colebatur, ut ſcripſit Virgi-
V. lius. Magnam cur dixerint petamus ex Lucretio, & Arnobio. Mater Deum magna Pori Aug. & Trajani, ſive Triani Felicis quæ fuerit alij viderint; exſcripſit autem Gruterus 308. 10. 11. fide Juſti Lipſij, marmor mendoſe, quod emendatum habetur apud Philippum Cluverium Lib. III. Italiæ antiquæ.
VI. cap. III. Cerariam quam appellet antiquum marmor apud eumdem 1010. 2. mihi prorſus eſt incompertum. neſcio quid ſane Cereris redolet, quam
VII. eandem eſſe cum Magna Matre nonnulli arbitrati ſunt. Attis qui & aliquando Attin, Ὕψιστος altiſſimus, celſiſſimus nuncupatus eſt, ut in vetere Inſcriptione apud Gruterum 28. 1. Solem nimirum omnia pervidentem, omnia perluſtrantem eſſe cen-
VIII. ſebant, ut diximus. Vidimus etiam appellatum Minotaurum & Minoturanum, petita fortaſſe à nomine alicujus vici nomenclatura. Succurrebatque Minotaurus, niſi amicus noſter FEL. OSIUS vir ornatiſſimus, humaniorum litterarum in hoc noſtro Gymnaſio publicus Interpres, oſtendiſſet mihi duas veteres Inſcriptiones Romæ recens erutas.

M. D

M. D. M. I.
ET ATTIDI SANCTO
MENOTYRANNO
Q. CLODIVS FLAVIANVS. &c.
&
MATRI DEVM MAGNAE
IDAEAE. SVMMAE. PA
RENTI. HERMAE. ET ATTIDI
MENOTYRANNO INVICTO
&c.

Quæ ſanè longè abeunt à Minotauro. Quare AMPLIANDUM.

Videmus autem in hiſce Inſcriptionibus Cybelen ſummam, & parentem appellari, Attiden ſanctum, & invictum, quod poſtremum adjunctum Herculi, Soli, & Mithræ convenit, imò huic uni proprie ſi Commodianum audimus.

INVICTVS

Invictus de petra natus ſi Deus habetur
Nunc ergo .... vos de iſtis date priorem
Vicit petra Deum quærendus eſt petræ creator.
Inſuper & furem adhuc depingitis eſſe
Cum ſi Deus eſſet umquam non furto vivebat
Terrenus utique fuit & monſtrivora natura
Vertebatque boves alienos ſemper in antris
Sicut & Cacus Vulcani filius ille.

X. hactenus Auctor conclamatæ editionis, & deſperatæ. Attin apellatum Phryga vidimus in vetere Epitaphio
XI. ut retulimus apud Cæſios Romæ, Mater Deûm magna Idæa, & Attis populi Romani apud Gruterum
XII. 307. 7. ita videntur eſſe appellati receptis publica auctoritate ſacris. Quod ex nuncupatione ipſius Archigalli ſatis patet. Cujus erat vaticinatio, ut præter antiquum marmor Gruterianum xxx. 2. Appulejus & Tertullianus cum riſu & inſectatione notave-
XIII. runt. Ceterum in parergis ararum horum Deorum fere ſemper viſuntur Tauri & Arietes, ut in Inſcriptionibus fit mentio Taurobolij, & Criobolij, cujus præterea meminit Julius Firmicus, *Tauribolum* [*Taurobolium*] *vel Oriobolium* [*Criobolium*] *ſcelerata te ſanguinis labe* [*tabe*] *perfundit*; vel *ſcelerato tabo*, at *labes* etiam ferri poteſt.

XIV. At quale hoc ſacrum? Prudentius luculenter expreſſit in Romano martyre, quem omnino vide.

Agnoſcis illum quem loquor miſerrime,
&c.

XV. ubi meminit tabidi roris, & tabi. Et hoc fuit Taurobolium Crioboliumque percipere, & Taurobolio in æternum renaſci, ut ipſi quidem non minus ridicule, quam impie arbitrabantur. hoc Taurobolium &
XVI. Criobolium facere. hoc accipere. Tauropolia vero, quorum meminit Caſaubonus ad Athenæum Lib vi. Animad. cap. 16. an huc pertineant, viderint doctiores. in Inſcriptionibus certe Gallicanis Taurobolium, & Tauropolium promiſcue legitur. Ad Matrem

trem Magnam, & Attidem, ut redeamus, qui plura de ijs volet, adeat Fulgentium Lib. III. Mythologicon, & Lucianum de Syria Dea.

Cum pagellæ aliquæ vacarent, viſum eſt heic exſcribere integrum Lucretij locum cujus ſuprà mentio facta eſt, quòd ad ejuſdem argumenti illuſtrationem mirificè conducere viſum fuerit. Extat autem libro II.

Principio tellus habet in ſe corpora prima,
Unde mare immenſum volventes flumina fontes
Aſſiduè renovent: habet, ignes unde oriantur.
Nam multis ſuccenſa locis ardent ſola terræ.
Eximijs verò furit ignibus impetus Ætnæ.
Tum porrò nitidas fruges, arbuſtaque læta
Gentibus humanis habet unde extollere poſſit:
Unde etiam fluidas frondeis, & pabula læta
Montivago generi poſſit præbere ferarum.
Quare magna Deûm mater, materque ferarum,
Et noſtri genitrix hæc dicta'ſt corporis una.
Hanc veteres Grajûm docti cecinere poëtæ
Sublimem in curru bijugos agitare leones:
Aëris in ſpatio magnam pendere docentes
Tellurem, neque poſſe in terra ſiſtere terram.
Adjunxere feras, quia quamvis effera proles
Officijs debet molliri victa parentum.
Muralique caput ſummum cinxere corona:
Eximijs munita locis, quia ſuſtinet urbeis:
Quo nunc inſigni per magnas prædita terras
Horrificè fertur divinæ matris imago.
Hanc variæ gentes antiquo more ſacrorum
Idææm vocitant matrem, Phrygiaſque catervas
Dant comites, quia primùm ex illis finibus edunt
Per terrarum orbem fruges cœpiſſe creari.

Gallos attribuunt, quia numen qui violarint
Matris, & ingrati genitoribus inventi ſunt,
Significare volunt indignos eſſe putandos,
Vivam progeniem qui in oras luminis edant.
Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circùm
Concava, rauciſonoque minantur cornua cantu,
Et Phrygio ſtimulat numero cava tibia menteis,
Telaque præportant violenti ſigna furoris,
Ingratos animos, atque impia pectora volgi
Conterrere metu quæ poſſint numine divæ.
Ergo cùm primum magnas invecta per urbeis
Munificat tacita mortaleis muta ſalute:
Ære atque argento ſternunt iter omne viarum
Largifica ſtipe ditantes, pinguntque roſarum
Floribus, umbrantes matrem, comitumque catervas.
Hic armata manus (Curetas nomine Graij
Quos memorant Phrygios) inter ſe fortè catervis
Ludunt, in numerumque exultant ſanguine læti:
Terrificas capitum quatientes numine criſtas,
Dictæos referunt Curetas: qui Iovis illum
Vagitum in Creta, quondam occultaſſe feruntur,
Cùm pueri circum puerum pernice chorea
† *Armati in numerum ſtarent: pernice chorea*
Armati numerum pulſarent æribus æra,
Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,
Æternumque daret matri ſub pectore volnus.
Propterea magnam armati matrem comitantur,
Aut quia ſignificant divam prædicere, ut armis,
Ac virtute velint patriam defendere terram:
Præſidioque parent, decorique parentibus eſſe.

M A-

MANUS ÆNEÆ, CECROPII VOTUM referentis, dilucidatio.

Auctore

JACOBO PHILIPPO TOMASINO, ÆMONIÆ PRÆSULE.



AMSTELODAMI,

Sumptibus ANDREÆ FRISII.

cIɔ Iɔc LXIX.

CAPITUM INDEX.

I. Operis occaſio.

II. Cuinam inſtituto hæc manus excogitata.

III. A quo, & cui donarium hoc dicatum.

IV. Ejus Materia, Forma ſive fabrica, & *S*itus.

V. Partis interioris explicatio.

VI. Declaratio partis extimæ.


CECROPIVS
V·G·VOTVMS

CECROPII VOTUM

à

JAC. PHILIPPO TOMASINO

ÆMONIÆ EPISCOPO

Dilucidatum.

CAPUT I.

Operis Occaſio.

FAvente Minerva, atque annuente benignâ Eminentiſſimi Principis FRANCISCI BARBERINI tutelâ, quum noſter *de priſcorum Donariis Votiſque* conatus propitio eruditorum conſpectu exciperetur, pro ſua quiſque humanitate in dies plurimi non pauca in iſtius argumenti incrementum ſparſim contulere; in primis *Caſsianus à Puteo* illuſtris Eques, ob vetuſtatis notitiam, vitæque innocentiam, & morum comitatem Romanæ Urbis ſplendor: cujus mira diligentia quodcumque ſeu caſu ſeu labore melior lux detexit, ad poſteritatis memoriam extendit. Ejus generis jure cenſenda faberrimi vetuſtiſſimique operis effoſſa inter Divi Gregorii rudera manus ænea, atque in Eminentiſſimi illius

Principis refertiſſimam precioſioribus pinacothecam non ita pridem veluti in Apollineum ſacrarium, ſepoſita : cujus iconem Vir noſtri ſtudioſiſſimus nobiſcum ſolita benignitate communicavit. Eam Divorum omnino tholos quondam exornaſſe, non levi prorſus conjectura tum denique planum erit, ubi omnem ipſius rationem pro ingenii modulo inter ſeveriores ſacri muneris curas carptim declaravero.

CAP. II.

Cuinam inſtituo hæc manus excogitata.

MAnus ænea, ejus * quam imago refert magnitudinis, & hieroglyphicis veluti ſignis Tropicis, diverſarum rerum, ac præſertim animalium figura delineatis, & deorum hominumve ingenium, mores, ceteraſque affectiones exprimentibus, quæ Lucano Poëtæ graviſſimo *linguæ magicæ*, hoc eſt ſapientes, utrinque variata, votum procul dubio repræſentat. Evidentiſſima namque in hanc rem ejus Inſcriptio.

CECROPIVS V. C. VOTVM. S

Illud nempe inſtituit Cecropius, Vir clariſſimus. Quem neutiquam conſularem exiſtimo, quum nec inter Conſules, nec à Grutero inter tot Inſcriptiones Ro-

* *Sciat benignus Lector manum hanc, ut inſeri ſuo loco commodè poſſet ſervatis ſervandis nonnihil imminutam eſſe, ſi cui tamen id tanti videbitur, manum hanc cum manu quam exhibuimus altera in Pignorij* initijs Attidis *contendat, & veram, aut veræ proximam ejus magnitudinem deprehendet.*

Romanas inſigni volumine congeſtas aliquis hujus nominis reperiatur. Quo honore viros primi nominis affectos, nuper de *Teſſeris Hoſpitalitatis* palam fecimus. Vera tituli hæc ſententia videtur: *Cecropius voti compos votum ſolvit.* Quiſnam ille fuerit, & unde nomen duxerit paucis diſpiciendum. Voventis ingenium & opes, ſive animi magnitudinem, ex inſigni opera conjectare licet: qui originem haut dubiè ducebat à Cecropio, antiquo Athenienſium Rege; quem primum oppida, urbeſque condidiſſe ac Jovem Summi titulo cohoneſtaſſe perhibent, ejus apud Athenienſes auctoritatis, ut ceteri Reges Cecropii nomen adſumerent. Niſi fortaſſis oriundus Athenis appellationem traxerit à tribu Cecropide, quam primo Regi ſuo debet, à quo & Reges ceteri Cecropides nominati. Natus huic filius tempore ſaluti parum propitio, à diuturna valetudine nactus Æſculapium ſibi faventem, in ſpem felicioris vitæ unicum familiæ columen Deæ ſoſpitatricis tutelæ, eximio planè monumento, ſumma religione dicato, commendatur. Nobis autem figuris ac myſteriis opus hoc adeò involutum & obſcurum videtur, ut niſi Phœbus radios præſtet, ingenii caliginem diſcuti perquam fuerit difficile, in ea rerum varietate, quam diuturni temporis intervallum interioris doctrinæ penetralibus clauſit. E quibus etſi non licuerit ſingula fortaſſis eruere; ad verum antiquitatis genium quædam tamen exegiſſe, à priori laboris gloria non prorſus alienum cenſebitur.

Vota porrò in tabellis ac fictilibus inſculpta non uſque novum eſt: at in manu nullum in hunc diem occurrit. Manum tamen in ſignorum numero fuiſſe, notum eſt. Eòne factum id putemus, ut voventis potentiam, ſeu malis liberalitatem donantis indicet? Vel quia Iſis in pompa ſacra manum oſtentaverit? Quod porro dextram præcipuè oſtendat, cauſa videtur potiſſima, quoniam eadem ſacra exiſtimaretur. Quid verò numinis heic præter morem nulla mentio? An quia Deæ Iſidi huic dicatum erat donarium, cujus occulta quum eſſent ſacra, ſilenda quoque fortaſſis erat veneratio? Tale quidpiam innuit Apulejus Metamorphoſeon Libro XI. ubi ait: *Proxima nocte, vidi quemdam de ſacratis, linteis intectum, qui thyrſos & hederas & tacenda quædam gerens, ad ipſos meos Lares collocaret.* Valetudinis curam ei adſcriptam planiſſimum eſt ex fragmento baſis marmoreæ, cujus inſcriptionem illuſtris Vir Joannes Vincentius Pinellus ex ædibus Patavinis Contareni Procuratoris ad Gruterum miſit. Qui lapis à Paulo Rhamuſio viro antiquitatis perquam ſtudioſo conquiſitus, ut ipſe ad Scardeonii Antiquitates, quæ in meo ſunt Muſeo, notavit, non ita dudum cum ceteris marmoribus Rhamuſianis ad ſapientiſſimum Senatorem Venetum Georgium Contarenum rediit. Ea talis eſt.

ISI. SACR
L. MAIVS
PHILEAS. VI. VIR
AQVIL. OB
SALVT. GRATTIANI
FILII. ET. GRATTIAE

Non alij porrò quàm Deæ Cybelæ in primis deſtinata fuiſſe, quæcunque heic ſymbola planè ipſius cultum referunt, in progreſſu diſſertationis omnino conſtabit.

CAP. III.

A quo, & cui Donarium hoc dicatum.

MIrum quidem nonnullis videri poſſet, Romanæ conditionis hominem Votum Ægyptiis ſimulacris undique exornaſſe; quandoquidem Romanis eam gentem ridiculam fuiſſe non obſcurum ex Iuvenale Libro v. Satyra XV.

Quis neſcit Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat?

Quo etiam modo Cyprianus de Idolorum vanitate: *Ægyptia portenta non numina ſenſit.* Nec omnem ejuſmodi ſacrorum rationem ſannis fuiſſe objectam negare potuit Plutarchus ſcriptor graviſſimus, etiamſi fuerit conatus polito certè libello conclamatam ejuſ-

modi ſuperſtitionem revocare. Beſtiolas nempe colebant ferè omnes, quas Ægyptus portentorum mater producebat. Eo Joſephus non injuriâ cenſuit, orbem terrarum, ſi Ægyptiorum ſacra ſuſcepiſſet, brevi beſtiarum plenum, hominum inanem futurum. Hinc vera Triſmegiſti vox. *O Ægypte, religionum tuarum ſolæ ſupererunt fabulæ, eæq; incredibiles poſteris!* Longè tamen alia, forſitan & æquiori ſententia, Tullius de Natura Deorum Lib. 1. tradidit *firmiores apud Ægyptios opiniones eſſe de beſtiis quibuſdam, quam apud Romanos de ſanctiſsimis templis, & ſimulacris Deorum.* Eò namque illa tandem religio proceſſit, ut à Quiritibus, rerum in orbe arbitris, fuerit recepta. Ecquid enim hiſce Minucii Felicis verbis apertiùs? *Ægyptia quondam, nunc & ſacra Romana ſunt.* Nec mirum. Quemadmodum enim Apulei ſententia inter ceteras nationes Judæi reputantur ſuperſtitioſiores, Nabathæi mercatores, frugum pauperes Scythæ, molles Aſiatici; ſic Ægyptii doctiores & ſapientiores ſunt habiti. Ea namque ſuper alias gentes Ægypti vulgata eſt ſapientiæ fama, ut non ſolùm Africæ, ſed Aſiæ etiam atque totius Græciæ, univerſæque Italiæ quondam excitarit ingenia, & quodammodo ad ſe attraxerit. Eo enim conceſſit Moyſes, qui omni Ægyptiorum ſapientia emicuit: eò Samius Pythagoras, Plato, Linus, Orpheus, Solon, Lycurgus, Heſiodus, Homerus, Ariſtoteles, ceterique ſapientiæ lumina confluxere, qui Græciam Italiamque ingenii monumentis ornarunt: ut Ægyptum totius or-

orbis muſeum verè pronunciaverint non infimæ ſortis eruditi. Proinde imperii incremento id à Quiritibus factum, non minùs verè quàm eleganter innuit idem: *Sic dum univerſarum gentium ſacra ſuſcipiunt, etiam regnare meruerunt.* Superſtitionem tamen non diſſimulavit ſibi averſam, quam acribus ſatis verbis ita perſtringit: *Nonne & Apim bovem cum Ægyptiis adoratis, & paſcitis? nec eorum ſacra damnatis inſtituta ſerpentibus, crocodilis, & belluis ceteris, & avibus, & piſcibus, quorum aliquem Deûm ſi quis occiderit, etiam capite punitur.* Nec ſane novum erit, Cecropium hanc religionem etiam Romæ profeſſum. Athenienſes enim Ægyptiorum colonos, è civitate Sacenſi Cecrope duce deductos, perhibet *in Monodia Baſilii* Nazianzenus.

Cuinam verò Donarium hoc fuerit ſacratum, in ambiguo eſt. Jovi Ammoni & Æſculapio factum, indicare videntur Arietis caput, ac Serpens qui manum ambit. Forſan & Cybele, quæ θεὸς γυναικεία Plutarcho in Cæſare, & apud Macrobium, quandoquidem ſolis mulieribus licitum erat adire ſacra ejus, quæ in operto fiebant. Qua de re ſuo loco uberius. Numquid & Lucinæ anathema hoc erectum? Numquid forſan Iſidi, rerum naturæ parenti, ut paulo antea indicavimus. Cuique tamen ſuum heic eſto judicium: meliori cedere parati ſumus.

CAP.

CAP. IV.

Ejus Materia, Forma ſive fabrica, & Situs.

ÆNea hæc manus perpetuitatem fortaſſis indicat, etiamſi priſcis æs quoque in ſacris fuerit uſitatiſſimum.

Eaque inanis ſine brachio fabrefacta, ut ſceptro vel haſtili à ſacerdote quopiam, quum pompæ magnæ paulatim procederent anteludia, votivis cujuſque ſtudiis exornata pulcherrimè, minori labore poſſet præferri, ad celebritatem obſequii, quod Magnæ Deæ, ſeu Jovi Ammoni, alterive Numini erat dicatum. Talem in pompa ſoſpitatricis Deæ ſacerdotem tuliſſe memorat Apulejus Lib. XI. Metamorphoſeon. *Quartus æquitatis oſtendebat indicium, deformatam manum ſiniſtram porrecta palmula.* Qui manum etiam in pompa præferri ſolitam Deûm Matri Iſidi memorat. Nam ipſa manum ſacram in pompa oſtentavit. Nec immerito. Manus enim auctoritatem ac poteſtatem ſignificat: manus altaribus infert ſacra, & pietatis munus peragit. Anaxagoras proinde, Ariſtotelis, & Plutarchi indicio, hominem pronunciavit ſapientem, quod manu eſſet præditus. Manus dextra profecto maſculæ virtutis argumentum videtur. Nec alia de cauſa credendum à veteribus Luſitanis in præliis captivorum amputatas manus dextras Diis fuiſſe conſecratas, ut libro III. narrat Strabo. Qui plura de manu velit curioſius, illuſtris Viri Renati

nati Moræi, Conſiliarii Regii, atque in Academia Lutetiana Profeſſoris Medici MANUM REGIAM, politiſſimi ingenii documentum perluſtret ſuadeo. Huc plane facit manus ænea, quam Petri Avogadri Comitis Brixienſis munere V. C. Octavius Rubeus obtinuit, ex idolo Tyllini ferreo, quem Deum fortiſſimum ac triumphatorem antiquiſſimum intelligit, cujus ille ſtatuam Beati Ramperti Epiſcopi juſſu anno 840. dirutam & confractam, tradit in Monumentis Brixienſibus. Illa vero cuſpidis loco haſtæ fuit impoſita; cujus pollicem & volam ſerpens ambit, qui & ovum lambit pollici atque indici interſertum. Haſtæ verò tamquam ſacræ, & Deorum more colebantur, ut Juſtinus ex Trogo auctor, adeoque veluti regia diademata Diis appoſita. Itaque Claudianus:

Tunc veteres haſtæ regia dona micant.

Haſtas certè Merionis & Vlyſſis titulo cælatas refert *in Marcello* Plutarchus in quodam Siciliæ templo repertas.

Manus verò in hunc modum eſt conformata, ut ſupina pollicem, indicem, & medium ſive impudicum paſſos referat, elevet atque extendat, annularem atque minimum contrahat; eo fermè ſchemate, quo religionis noſtræ Antiſtites olim populo benè optare ſolebant: vel quo pictores ab omni ævo Servatoris noſtri dextram ſacræ Crucis teſſeram effigiant. Quod ſanè Laurentius Pignorius piæ memoriæ, magnum

patriæ noſtræ ornamentum, non præter rem factum opinatur, quia Diabolus jam tunc omnem operam mira calliditate impendit, ut elevaret eum geſtum, quem ſacerdotes Chriſtiani eſſent adhibituri, quum ſacrum crucis ſignum exprimerent.

CAP.

Partis in manu interioris explicatio.

DOnarium hoc diligenter conſiderantibus, inſcriptionis nota primùm ſeſe offert intima pars manus, atque in ejus carpo puellus in amplexu matris ſuaviter in lectulo, ſpecie ſigmatis effigiato, decumbentis, talari veſte, pallâ nempe ſeu ſtola obtectæ. Stola verò matronæ pudicitiam denotat, cujus Tertullianus *de Pallio* meminit. Votum Magnæ Deûm Matri, ſive naturæ genetrici pro ſobolis à conjuge matrona lectiſſima ſuſceptæ ſalute reddita ſolutum indicatur. Peculiarem verò ſoſpitatricis Deæ pompam plenè ac prolixè loco aliquoties memorato Apulejus proſequitur. Quænam illi vis, & quanti eam cenſuerit antiquitas, teſtis Lucretius Lib. 2:

Puellus.

Matrona ſtolata in lectulo.

—— magna Deûm mater, materque ferarum,
Et noſtri genetrix hæc dicta eſt corporis una.

Neque eorum mihi diſplicet conjectura, qui huic numini dicatum putant: cujus haud exigua erat apud Ægyptios auctoritas; quandoquidem Deorum ea mater, plurimumque pueris in ipſius tutela præſidii

eſſet:

eſſet: à qua & accepta fuiſſe reſponſa notum eſt ex veteri monumento Patavii, quod olim apud Rhamuſios, nunc Ateſte in hortis Contareni eſt.

I S I D I
SACRVM
EX MONIT.
EIVS D.D.
L. VALERIVS
MEMOR
VI. VIR AVG.
L. D. P

Romanis etiam in ſumma veneratione habitam oſtendit in Hadriani nummo Iſidis effigies. Huic etiam Deæ pinea nux propria fuit. Hinc Martialis non minus verè quam argutè: *Nux Pinea.*

Roma ſumus Cybeles, procul hinc diſcede Viator,
Ne cadat in miſerum noſtra ruina caput.

Cauſam tetigit Ovidius Lib. x. Metam.

Et ſuccincta comas, hirſutaque vertice pinus
Grata, Deûm matri. ſiquidem Cybeleïus Atys
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.

Nimirum Phrygius Atys paſtor Calai filius, quum magnæ Matris ceremonias in Lydia monſtraſſet, ibique cultus eſſet invito Jove; hic aprum immiſit in Lydiam, à quo Atys filius fuit interemtus, poſteaque

in pinum mutatus. Inter plures hujus rei teſtis unus mihi ſufficit Phœdrus Lib. III. Fabularum:

—— Quercus Iovi,
Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
Pinus Cybele, Populus celſa Herculi.

Ramus. Quapropter & in pollice jungere libuit ejuſdem arboris ramum. Cujus tamen ſpeciem cælator minus expreſſit. Myrto is propior, quem inter pocula primitus alteri cantando porrigebat, ut auctor *in Sympoſiacis* Plutarchus. At verò folium, ut fatear, magis refert ficulneum, quod ob humoris copiam genitalis perhibetur ſimulacrum. Quid ſi palmæ cenſueris? Nam & Apuleius illatam narrat palmam auro ſubtiliter foliatam Deæ ſoſpitatricis ſacris. Verùm rem diligentius conſideranti magis ad Rutam accedit, quæ vi ſua generandi potentiam hebetans caſtimoniam promittit, imò ſerpentibus adverſa nequitiam frangit volupturiam.

Nec fortaſſis à verò multum abeunt, qui exiſtimant, Votum hoc ſolutum fuiſſe maſculina prole ſuſcepta, menſe ſeptimo, poſteaquam fœtus in vere conceptus eſſet, in hanc ſententiam potiſſimum adducti, ex tribus digitis erectis, et arboris ramo, cujus in morem tenellus ſuccreſceret; etiam quod nux pinea Lucinæ pro ſecundo partu eſſet conſecrata.

Jovi Ammoni & Æſculapio id dicatum porrò ſuadere videtur Arietis caput, & Serpens manum ambiens. Aries enim Ammonem indicat, qui, ut num-

Arietis caput.
Serpens.

mus

mus Antonini refert, omnium ſaluti proſpicit. Hunc vero Jovem, Naturæ conſervatorem, ac Deorum Principem agnoſcunt veteris ſapientiæ antiſtites: cujus oraculum patrio Ægyptiorum more adiiſſe Alexandrum narrat Libro IV. Curtius. In hanc fermè ſententiam Galieni Imperatoris Numiſmati Aries inſculptus, cum hac inſcriptione: JOVI CONSERVATORI. Pariter in altero Salonino nummo Aries hoc titulo: AMMONI CONSERVATORI. Nec diverſum ſignificat impoſitum tripodi arietis caput. Nam & Tripos Apollini dicatus ſapientiam connotat. Quicquid ſit, priſcorum victimis acceſſit caput illud. Ammon vero Jupiter eſt ex Ariete cæleſti ortus, quem laboranti & ſitienti exercitui fonte amœniſſimo robur & ſalutem attuliſſe accepimus. Eumque non ſecus ac Latini Jovem, Ægyptij ſoſpitatorem, ſalutiſque Deum habuere, quem & Arietis ſpecie coluerunt. Quo procul dubio reſpexit Minucius Felix, quando plurimorum ſuperſtitionem ſic taxat: *capita vervecum & immolatis & colitis.* Occaſionem tradidit Herodotus Libro 2. Jovem nempe ab Hercule, cui ſe occultaverat, exoratum, amputato arietis capite comparuiſſe. Religionis hujus plura in veterum monumentis veſtigia ſunt. Hinc Naſoni de Arte amandi *Corniger Ammon.* Meminit ejus quoque Lucanus Lib IX.

Inculti Garamantes habent, ſtat corniger illic
Iupiter, ut perhibent, ſed non aut fulmina vibrans,
Aut ſimilis noſtro, ſed tortis cornibus Ammon.

& Silius Italicus Lib. IX. Punicorum:

At patrius flexis per tempora cornibus Ammon.

Unde Æmilius Probus de Lyſandro: *repulſus dixit ſe vota ſuſcepiſſe, quæ Iovi Ammoni ſolveret, exiſtimans ſe Afros facilius corrupturum.* De ſtatua Jovis cornigera Q. Curtius Lib. IV. *Id quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgo Diis artifices accommodarunt. Vmbilico tenus arieti ſimilis eſt, habitus ſmaragdo & gemmis coagmentatus* Tripodem vero ſapientiæ, quâ vitam moderamur, imo veritatis, quæ ſapientiæ anima eſt, notam, fatentur veterum myſteriorum conſulti, quem



Apol-

Tripus. Apollini deberi credidit Socrates. Tripus certe * aureus in adyto templi Apollinis Delphici fuit, ſub quo ſerpens obſervabatur. Et ſane Latinorum Poëtarum princeps, ſub Æneæ perſona veram herois indolem formans, inter prima ipſius dona Tripodis commeminit. Verum & pari jure, quo Ammoni, votum hoc Æſculapio Apollinis, hoc eſt ſalubritatis filio, ſolutum, non infidis plane momentis arbitrantur, qui numen iſtud infirmitatibus humanis præeſſe norunt. *Anguis.* Anguem ſcilicet Æſculapii vicarium Romam miſſum accepimus. Sunt qui Æſculapium anguis ſpecie Romani Legati, qui Epidaurum adnavigarat, opem adverſus peſtem imploraturus, navem ſponte ingreſſum referunt. Acron, non temnendæ authoritatis Grammaticus, tradit, Romanos Epidauri, incertos ob multitudinem ſimulacrorum quod potiſſimum deligerent, anguem recepiſſe. Romæ in Inſula Tiberina, quibus honoribus cultus fuerit, etiam hodie loquuntur monumenta Græcarum tabularum, in quas relatæ fuerunt curationes illius monitu peractæ. Quam in rem Votum Æſculapio Romæ oſtendit rari artificii ara, quatuor lateribus inſignita vaſis ſacrorum & aliis ornamentis.

AES-

* *Hos vel iſtiuſmodi tripodes, cum aureo æreove ſerpente, ſi Val. Maximo & Pauſaniæ fides, Apollini dicavit tot numinum inventrix Græcia: ac jam Luciani teſtimonio conſtat Apollinem ex iſtiuſmodi tripode, ſub quo anguis, reſponſa quærentibus dediſſe. Et de angue quidem ita* Oudanus: *Anguem quod attinet, ut plurimum illum apud Apollinis vel ſanitatis imaginem invenias, idque tam propter hariolationes & vaticinia, quam reſpectu medicamentorum & rei herbariæ, cujus Præſes habitus eſt Apollo. Utriuſque ideam nummi appoſiti exhibent, quorum ille* (1) Lepidi *eſt, & tripodem cum angue inſcriptum habet: hic* (2) Poſthumo *debetur, & Æſculapii imaginem referre vulgo creditur.*

A E S C U L A P I O.
D E O
I V L. O N E S I M V S
A V G. L I B:
A. C V R A. A M I C O R V M
V O T O. S V S C E P T O
D. D. L. M.

Et alterum, quod in tabella marmorea Romæ apud Aurelium Rufinum vidit Smetius:

A E S C V L A P I O SANCTO
L. IVLIVS. AGATHORVS. ET TERENTIA. RVFINA. GRATIAS. AGENTES. NOMINI TVO DD.

Rem evidentius indicat in D. Bartholomæi hortis Romæ Æſculapio inſignita navis mormorea, viſu certe digniſſima. Æſculapii verò ædem in inſula fabricatam ſcribit Feſtus, quod ægroti præſertim aqua ſuſtentantur.

Æſculapio Aries porrò apponitur, quemadmodum & in ſigno Æſculapii marmoreo apud Octavium Tronſarellum, cujus indicium debemus Io. Baptiſtæ Caſalio crudi tiſſimo, de profanis Romanorum ritibus Cap. VII. ubi ad pedes ejus aquila in dextera parte, arietis caput in ſiniſtra, ægrotantibus ſalutem demonſtrant. Eo quidem Aries innitens tripodi ſacri-

crificia voventium tanquam Diis accepta videtur deſignare.

Sed ut ad reliqua gradum faciam. Ex his minime obſcurum eſt, Iſidi munus hoc præcipuè oblatum, etiamſi Æſculapio ſalutis auctori ſuus quoque heic ſit juſtus honor, ceteriſque Numinibus, quorum tutelam puelli parens faventem poſcebat.

Morbi vero tempus, qualitas, vehementia, gravitas, diuturnitas, & curatio ex ipſis emblematibus euceſcent.

Tempus nimirum ex capite Arietis, quod in vola manus ſupra tripodem poſitum Vere incepiſſe morbum innuit. Caput enim iſtoc anni principium ſive uniformem diei noctiſque diviſionem denotat. Tres digiti erecti infirmitatis initium, ſtatum, finemque indicant. *Ariteis caput in tripode.*

Qualitas præterea morbi initio fuit occulta. Langueſcebat quidem puer, ſed parentes morbi naturam ignorabant. Arcanum enim & veluti vaticinium in apice pollicis repræſentatur nuce pinea: qua uſos fuiſſe Iſiacos narrat *in Commodo* Lampridius. Apulejus etiam Metam. Libro XI. de nave Iſidi nuncupata: *Iam malus inſurgit: pinus rotunda, ſplendore ſublimis inſigni carcheſio conſpicua, & puppis, intorta cheniſco, bracteis aureis veſtita fulgurabat.* Pinus enim tutelam gerebat Cybele. Qua ratione Poëta Æneïdos IX. *Nux pinea.*

Pinea ſylva mihi multos dilecta per annos.

Imo Pinus mortis indicium eſt. Fama namque eſt, eam ſemel amputatam nunquam repullulaſcere. Addit Joan. Goropius Hieroglyphic. Lib. VII. Pinu repræſentari terram ſuo in gremio ſemina cuſtodientem, & moleſtiam, qua ad conjugii dulcedinem pervenitur, amore fervido mitigandam. Hujus namque fructus ſemina depromuntur ignis calore, quo duriſſima ſepta facillime dehiſcunt. Quam ſibi felicitatem in primis obtigiſſe inter cetera profiteri voluit Cecropius. Talis etiam ſpectatur in manu ænea Tornaci eruta, quam apud Dionyſium Villanum Canonicum aſſervatam, Laurentius Pignorius eruditè explicuit ad Magnæ Deæ dilucidationem.

Urnula. Nec ab hujus Deæ ſacris aliena eſſe vaſcula facilè negaverit, qui Apulei transformationes diligenter inſpexit. Nam & ipſe urnulam pompæ illatam memorat, cujus orificium non altiuſcule levatum, qualenam & heic ſpectatur. Vrna verò Oſiridi ſacrata aquam notat, ſiquidem ipſa non vini modo, ſed cujuſvis humoris domina cenſetur. Noſtrum quidem ciſſybio non eſt abſimile, cujus ſpeciem dedit Pierius Valerianus. Quod in Bacchi ſuppellectili habitum fuit. *Vaſculum papillæ forma.* Vicinum vero huic *vaſculum*, conſimile eſt ei, quod ibidem quartus antiſtes ſacrorum gerebat *aureum, in modum papillæ rotundatum, de quo lacte libabat.* *Simpulum.* Quodnam vero in hac manu tertium? Numquidne ſimpulum? Tale ſæpius in pinacothecis conſpeximus, licet hac forma Roſinus thuribulum exhibeat.

CAP.

CAP. VI.

Partis extimæ declaratio.

MAjoris operæ conſpicitur altera manus facies: cui pinus in pollicis apice, ejuſdemque radice folium pariter convenit. Reliqua ſigna ei propria pro ingenii modulo expendentes, liberaliorem conjecturæ indulgentiam exſpectamus à ſeveris literarum cenſoribus.

Temporis utpote progreſſu natura morbi dignoſcitur ex angue, ſeu ceraſte in digito indice. Oculis *Anguis.* videtur is orbatus. Et certè vermes ſæpius vexant infantes. Rotundos nempe lumbricos, dum adhuc in utero ſunt pueri, naſci, tradit Medicorum parens Hippocrates Lib. IV. de Morbis, è ſanguine computreſcente ac redundante: iique, ut vere monet Celſus Lib. IV. cap. 17. pueros magis exercent. Eum, ſi quis forte curioſior anguillam putet, morbi medium ſignificabit fuiſſe lethale, ut è manibus parentum infans ad lacum Stygium elaberetur fermè in anguillæ modum. Quo etiam ſymbolo hominem fugientem rem aliquam, nulla conſequendi ſpe, indicavere Ægyptii, Quid ſi puello vitam precatur parens tranquillam & à ſeditione remotam? Diſcordias enim anguilla non ineptè denotat, quandoquidem non niſi turbata aqua capitur. Unde Ariſtophanes:

Et tu feciſti quæ venatores anguillarum faciunt,
Quieta cum ſunt ſtagna, venantur nihil.

Sed & anguis non raro laborantem demum habitiorem, ac de morbo ſqualorem depoſuiſſe connotat. Quemadmodum enim poſitis ille exuviis rejuveneſcit, pariter & convaleſcentes amiſſis ſpoliis ad ſeſe redeunt. Puero fortaſſis dominium auguratur Heroibus ſacer ſerpens, animal ſpiritus vitæque tenaciſſimum, viſus acutiſſimi, adeoque Palladi ſacrum.

Crocodilus. Crocodilus vero inter pollicem & indicem repens, ut multæ rapinæ animal, parentum perniciem refert. Quidni etiam puero ſapientiæ acceſſionem, & ſilentium ſapientibus probatum, Deæque Iſidi acceptum ominetur? In hanc rem Patavii apud Baſſianos monumentum eſt in ſaxo rubro.

I S I D I
SIG. HARPOCRATIS
C. DIDIVS
ACVTIANVS
DON. DED.

Quinimo animal hoc nonnullis ſilentij ſymbolum habetur, qualenam in elegantiſſimi cœnobij D. Iuſtinæ apud nos porticu ſupra oſtium. Rationem vix divinare licet aliam, quam ex Plinio Libro VIII. cap. XXV. cujus hæc verba: *Vnum hoc animal terre-*

ſtre

ſtre linguæ uſu caret. At bona Mythologorum venia ſcriptor politiſſimus Crocodilo non denegat linguam, ſed ejus uſum innuit obſcurum. Ea namque exilior non protenditur, ut Chamæleonti, qui lingua muſcas venatur in eſcam, ſed animal illud grande vorat potius, quam linguam volvendo manducat.

Jam Flagrum manubriatum ejuſdem ſacris uſurpatum ex Apuleio perſpicuum eſt; qui & accuratam ejus hanc rationem dedit: *Arrepto denique flagro, quod ſemiviris illis proprium geſtamen eſt, contortis tæniis lanoſi velleris prolixe fimbriatum, & multijugis talis ovium teſſellatum, indidem ſeſe multinodis commulcat ictibus: mira contra plagarum dolores præſumtione munitus.* Lora fuiſſe innuit Ovidius Faſt. IV. *Flagrum.*

Et feriunt molles taurea terga manus.

Quod ne fruſtra factum putemus, illud præſertim in memoriam revocandum, ſapientiſſimos Lacones hoc ipſo martalium animis ærumnam & adverſam fortunam, quinimo tolerantiam inſinuaſſe. Quid ſi puelli mater initio conjugii, ut ſterilitatem averteret, in æde Iunonis, quemadmodum moris erat, ſacerdotis etiam Lupercalis flagrum è tergo arietino exploraverit?

Medii porro digiti Rana morbi declinationem oſtendit. Ea namque hominem, qui diu vi morbi ſeſe movere non potuit, denuo progredi ſignificat. Poſtquam enim orta pedum uſu deſtituitur, ætatis progreſſu poſticis primum pedibus utitur. Nec ali- *Rana.*

 ter

ter intelligendum credo Horum Apollinem Hieroglyph. Lib II. ubi tradit animalculum hoc primum ſine pedibus naſci, dum augetur, pedes aſſumere poſteriores. Qui & Hieroglyph. XXIV. hominem nudum in utero efformatum ranâ intelligi præcipit. Forſan & puellus Cecropii ortus ſui initia ſatis dubia habuit. Ceterum & Mœcenatis erat ea ſigillum, quæ Silentii teſtis arctam fidem unicè obſervandam ſignificabat. Eamque fortaſſis terreſtrem putaverim, quæ in vepribus tantùm degit rubetæ appellatione, eſtque plane muta, & vocis expers. In quem etiam modum puer amiſſa voce, & deſperata ſalute, terræ tradendus videbatur.

Serpens criſtatus. Verum & Serpentem omnium conſenſu Æſculapio dicatum narrat Pauſanias & Val. Maximus, qui frequenti Numiſmatum teſtimonio ſalutis ſymbolum eſt. Siquidem auctor ille medicinæ valetudinem homini reddit: ne dicam, quod plurima in humanum genus remedia ex hoc animalium genere depromuntur, unde & ipſum ſalutem promittit. Serpente igitur, cui caput criſtatum, aſſurgente inter quartum quintumque digitum, parentibus pro ſalute pueri ſacrificantibus, mox pueri ſalus emergit. Plura etiam numiſmata draconem SALVTIS titulo referunt. Et ſane animal hoc vigilantiſſimum Æſculapii typus eſt. Vigilantia nempe Medico neceſſaria eſt: quamquam nec ignorem viſum per quietem imperium polliceri, quod forſan filio pater augurabatur. Nam & Aſtrolabii Plani auctor Joan-

Joannes Angelus hominem præſagire narrat in ſenectute potentem futurum. Serpentem præterea veteres divinæ cujuſdam naturæ putarunt, quoniam vivaciſſimus deprehenditur, cui incumbere videtur Accipiter, Soli apud Ægyptios comparatus, quia prolificus & vivaciſſimus eſt, Apollinis apud Homerum & Adamantium internuncius. Imo Serpentes cum capite accipitris, Ægyptiæ genti veritatem notare, bonumque dæmonem, cujus munere quævis aluntur & vigent, auctor eſt Petrus Crinitus de Hon. diſcipl. Lib. 16. Cap. 2. Draco ſanè criſtatus inter præcipua Solis ſymbola ſacris additur, quæ ab Iſiacis nihil eſſe diverſa indicat Strabo Lib. x. Talem in Beleo monte ab Æſculapio educatum memoriæ tradiderunt veteres duplici dentium ordine, cui ſubviridis venter, fronte ac ſupercilio præpingui, cuique toruli ſub mento barbam fingebant, ictu innocuo, ſed cui cum aquila diſſidium fuit. Minervæ autem Draco appingebatur. Draco nempe Theagenis filius arcu potens Minervæ anguem ſacravit. Forſan & hìc puello ingenium ominatur rebus agendis perneceſſarium.

Voto jam ſoluto, puer quidem convaluit: ſed paulatim, teſtudinis exemplo in minori digito repentis, diutiuſque domi manſit. Hoc nempe animal mutum eſt, puta elingue, tardè incedens, nunquam domo egreditur, ſed illam ubique ſecum circumfert: quæ omnia puero debili convaleſcenti verè conveniunt. Nec diſſimulare poſſumus Cybeles etiam *Teſtudo.*

ſa-

ſacris, quæ propalare nefas erat, hoc ſilentii ac ſolitudinis argumento nullum fuiſſe convenientius. In nummo argenteo Græco teſtudinem vidi apud Alexandrum Eſtium, appictis utrinque A. I. literis, parte averſa in quatuor partes diviſa Delphinum & Z. trabem tranſverſam & I. quid velit, ariolentur ingenioſi. In moneta inſulæ Naxi non expoſuit Wolfgangus Lazius.

Libra. Hoc vero ſub Autumnum contigiſſe veriſimile eſt ex Libra menſis Septembris; quo dies noctesque pari lance procedunt, cum Sol eo tempore ipſi in Zodiaco jungitur. Septimo nempe menſe valetudinem recuperavit. Tres quippe digiti manûs extenſi dies bis centenos indicant, qui ſex menſes dieſque vicenos conficiunt. Quid ſi tam pertinacis mali cauſam dixerim præmaturum puelli ortum? Nam & numerus dierum iſte ſeptimum indicat menſem, quo nati raró ſunt ſuperſtites, etiamſi plus alii, alij minus afficiuntur, Hippocratis decreto: adeoque ſuperſtites vitam ex debilitate inſigni trahunt dubiam. Forſan & puellus diuturno morbo afflictus, ſeptimo, quem antea indicavi, menſe convaluit. Quod & ſalutaris diſciplinæ conditor ſæpius fieri monuit *Sect. III. Aphor.* 28. Sèd altioris rem indaginis Medicis naturæque conſultis relinquens, nolo falcem in alienam ſegetem mittere. Illud minimè ſilendum, quod Libra Haly judicio conformitatem & moderationem adfert corporibus: imo quibuſdam victoriam denotat.

Puero

Puero in hunc modum valetudini reſtituto inter maritum & uxorem conjugii ſocietas amorque crevit. Inde opum lætitiæque incrementa, Mercurio negotiis favente: cui caduceus eſt peculiaris, binis anguibus indicans prudentiam & calliditatem, forſitan & geneſin, ſi qua Macrobio fides. Orationis etiam promptitudinem parentes forte filio precabantur, quam Aſtrologi Mercurio in Ariete tribuunt. Sic Apulejus Met. Lib XI. *Ibat tertius* antiſtes ſacrorum *attollens palmam auro ſubtiliter foliatam, necnon Mercurialem etiam caduceum*, Qui mutuo ſepentum amplexu concordiam & pacem præ ſe fert.



Caduceus Mercurii.

Appictum huic Cornu copiæ felicitatis, abundantiæ, bonique eventus ex pace indicum eſt; quo etiam fœdera conciliabantur. Horatius Epiſt. Lib. I. Epiſt. XII.

Cornu copiæ.

—— aurea fruges
Italiæ pleno diffudit copia cornu.

Hunc in modum Trajani * nummo cum cornu copiæ, & caduceo inſcriptum:

FELICITAS. AVG.

Thyrſus. Quid autem vicino huic clava? Thyrſum arbitror. Caulis enim eſt in columnæ modum rectus, ſeu cum Pierio Valeriano malis, telum ligneum circumfuſa coopertum hedera. Hedera verò corymbos ferens nigros, ſacra fuit Dionyſio, qui Ægyptiis eſt Oſiris, quæ Baccho quidem dicata mucrone conum pineum vitæ univerſa ſemina intus alentis argumentum videtur referre. Apulejus tamen in pompa Deæ thyrſos & hederas diſtincte nominat: ubi dubio procul hederæ fuit uſus, quod ejus folia mentes in furorem agitant. Hilaritatis certe titulo Nummus Fauſtinæ inclaruit. Caduceo autem ſociata virtutis paciſque eſt ſymbolum.

Tibiæ. Inſtrumenta præterea muſica, lætitiæ ſacriſque peragendis dicata quid velint, niſi parentum ſupplicationes & vota? Ea namque ex Livii Lib. XXIX. didicimus, ſacrificiis Saluti dicatis fuiſſe adhibita.

Sed-

* *Idem cornu copiæ, idemque caduceus & inſcriptio eadem videre eſt in nummo Hadriani tertium Conſulis: nec multum abludit Juliæ Mammeæ nummus, niſi quod pro vocibus* FEL. AVG. *inſcriptionem hanc habet,* FELICITAS PVBLICA. *utriusque imaginem paulò ante dedimus.*

Sed & Galli ſacerdotes atque Curetes Cybelen in tympanis colebant, è buxo tibiam comitantibus. Virgilianum eſt:

Tympana vos, buxuſque vocat Berecynthia matris
Idææ.

Buxeam porrò tibiam, ut in ludis argenteam, Matris Deûm ſacris adhibitam, tradit Ovidius Metamorph. XIV: fab. XII.

Sancta Deum genitrix tinnitibus æthera pulſi
Æris, & inflati complevit murmure buxi:
Perque leves domitis invexa leonibus auras.

Apulejus Metam. VIII. *Mutante tibiæ cantu lymphaticum tripudium.* Ejus uſum, forſan & figuram, reliquit idem Lib. XI: *Ibant & dicati magno Serapi tibicines; qui per obliquum calamum ad aurem porrectum dexteram, familiarem templi Deique modulum frequentabant.* De Tibia Lucretius rerum Naturalium Lib. 2.

— Phrygio ſtimulat numero cava tibia mentes
Telaque præportant violenti ſigna furoris.

Qua etiam in ſacris jam Deum adeſſe, indicatum fuit, imo velut hodie campanis rei ſacræ faciendæ tempus. Phrygiam heic tibiam tandem ſuadere

videtur Servius ad IX Æneïdos. Geminata heic ea exhibetur, quarum altera acutum tinnitum, altera bombum edidit, inæquales habuiſſe ait ille cavernas; cujus heic generis omnino effigiatur.

Sed jam de re minima, nec admodum perſpicua, plus ſatis divinavimus.

IAC. PHILIPPI TOMASINI

Epiſcopi Æmonienſis,

DE

VITA, BIBLIOTHECA

ET

MUSEO

LAURENTII PIGNORII

CANONICI TARVISINI

diſſertatio.

Breviarium vitæ

LAVRENTII PIGNORII.

LAurentius Pignorius Presbyter Patavij, ortus eſt Anno M. D. LXXI. die duodecima menſis Octobris, hora XIX. ſupra dimidiam, Antonio patre. Liberalibus ſtudijs ab ineunte ætate delectatus, præceptores habuit præclaros, & in primis ex Societate Jeſu, Patavij tum docentes; & humaniores literas quidem hauſit ex ore Benedicti de Benedictis, quem poſtea vidimus Epiſcopum Caprularum; & Candidi Æmiliarij; Dialecticam, & Philoſophiam tradente Jo. Baptiſta Scortia Genuenſe, cujus libri duo *de natura, & incremento Nili*, & Hieronymo Dandino Cæſennate, cujus labor eſt Liber *de corpore animato.*

Hinc ad Franciſcum Picolomineum, ac Iacobum Zabarellam, publicos ejuſdem facultatis Interpretes in Academia publica Patavina audiendos tranſijt, quos & ſedulò auſcultavit. Philoſophiæ ſpatia emenſum amœna literarum, & antiquitatis ſtudia ad ſe totum traxerunt: at exhortante patre, ad Iuris prudentiam amplexandam non invitus acceſſit, & Legum illius ætatis maximos Coryphæos ſe-

ſectatus eſt, Guidum Pancirolum, Angelum Mattheacium, Ottonellum Diſcalcium, & Marcum Antonium Otteſium. Horum ex ſcholis, quidquid ad Juris cognitionem pertineret, celerrimè domum ſuam tranſtulit: ex Doctorum quoque Virorum colloquijs Jurisprudentiæ, & rerum priſcarum notitia ſenſim in eo ſuccrevit, quarum ita poſtea dulcedine perfuſus eſt, ut illi ſe totum addixerit.

Cælibatum perpetuò coluit candidiſſimis moribus ornatus, & cum Eccleſiaſticæ vitæ normam plurimum adamaret, ſacris ordinibus initiatus eſt anno M.DC. II. Marci Cornelij Epiſcopi Patavini manu. Is enim juvenis indole, dotibus, & eruditione captus, eum ſibi adeſſe voluit à ſecretis. Deductus eſt ab eodem Romam anno M. DC. V. ubi biennio ſtetit, & otium ſuum omne, quà in priſcorum monumentis, & venerandæ antiquitatis reliquijs perluſtrandis, quà in veteribus libris inter ſe conferendis inſumpſit. Hæc illius ſola, & unica voluptas erat, tantumque labore iſto erudito profecit, quantum ejus libri, Romana undequaque eruditione referti docent, & elogia, quibus à viris doctis, cum noſtris, tum exteris cumulatur.

Romæ degens hiſce præcipuè viris omni doctrinæ genere clariſſimis innotuit, Angelo Rocchæ Epiſcopo Tagaſti, Scipioni Cobellucio, qui Cardinalitiâ purpurâ decoratus non eum dilexit tantum, ſed & inter ſuos habere cupijt, quamobrem ei libros duos, *de Servis* vnum; *de Patavinis originibus* alterum inſcri-

pſit: Cæſari Baronio doctiſſimo S.R.E. Cardinali, cui dicavit *menſam Iſiacam*, & Joſepho Caſtillionæo I.C. præclaro, à quo ad aulam quoque Pauli V. Sum. Pont. ſummis plerumque conatibus accitus eſt, alijſque multis nobilitate, & eruditione conſpicuis, qui omnes ejus famæ faventes ingenium ſimul ejuſdem exoſculati ſunt. Patavium inde redijt, ubi primum domeſticis rebus implicatus, à ſacris demum Virginibus D. Stephani datus eſt Rector Eccleſiæ Parochiali D. Laurentij, Abbatiſsâ Magdalenâ Vercelleſiâ.

Hoc in onere tale ſpecimem ſedulitatis, & virtutis dedit, ut non ſolum Eccleſiæ ſibi commiſſæ provinciam adminiſtrarit egregiè, ſed etiam Epiſcopi juſſu ſacrarum earumdem Virginum confeſſiones exceperit, poſt eandem operam navatam Virginibus D. Claræ magna cum laude. Quidquid inde verò nanciſci poterat otij, id omne literarum ſtudijs, ſuis amoribus ac delitiis, impendebat. Terebat & in eo vigilijs aſſiduis noctes, ut cum omnis Hiſtoriæ, tum patriæ ſuæ monumenta, & ornamenta luſtraret, & in commentaria quæque redigeret, ſuis temporibus evulganda, Pluribus annis hoc illi onus dulce, ac jucundum fuit. Clericatu quoque S. Clementis ab eiſdem Monialibus decoratus eſt. Oblatam ſibi Lecturam Humaniorum Literarum, & Eloquentiæ, in Piſano Gymnaſio, à Magno Etruriæ Duce per Galileum Mathematicum inſignem, renuit, quietis & patriæ ſuæ ſtudio, cujus ergò animo planè ingenuo talia plura evitavit.

Proceræ ſtaturæ Vir, coloris albi, oculis quoque albis, ſed fulgentibus nitens, gravis inceſſu, ac ferè cogitabundus, ceterum amabilis, placidus, pius, nec aſſentiri facilis cujuſcunque dictis. Varia Patavinæ civitatis monumenta è latebris eruit, nec acquievit omnibus à Scardeonio allatis. Ea re totius antiquitatis indagator accerrimus, & in veterum Numiſmatibus interpretandis oculatiſſimus, Oraculum veluti Delphicum ſemper eſt habitus. In heroico carmine vera Muſarum, & Apollinis proles audit, quibus dictantibus plurima cecinit. Elogiographus egregius etiam paſſim ab omnibus ſalutatur. Has ob dotes gratiâ tum civium tum exterorum floret maximâ. Purpuratis quoque Patribus Venetis & Romanis carus. Commendat illum in primis ubertas ſcribendi mira, cui nulla ferè par alibi hac ætate. Quanti porrò amicos ille ſuos faciat, ejuſdem docent Epiſtolarum ſymbolicarum libri, quibus eoſdem immortalitate donare nititur; Ac licet ijſdem epiſtolis amicorum illius cenſus appareat, non pigebit tamen horum aliquos recenſere. Joanni cum primis Vincentio Pinello carus quoad vixit, extitit; fuit & eodem tempore ſumma neceſſitudine conjunctus, Marco Velſero, Paulo Aicardo, Vincentio Contareno, Franciſco Viduæ, Andreæ Mauroceno Senatori Veneto, Alnaldo Cebæ, Edmundo Brutzio, Philippo Rubenio, Iano Grutero, Hieronymo Aleandro, Iacobo Auguſto, Gaſparibus duobus Scioppio & Barthio, & Antonio Quærengo eruditiſſimis, & ampliſſimis viris. Di-

Dilexerunt & illum unicè Iacobus Cavatius Hiſtoriæ Caſſinenſis ſcriptor, Bernardus Bruſcus, Andreas Chiocchus medicus, Curtius Picchenas, Io. Hier. Bronzerius, Iacobus Auguſtus Thuanus Præſes Regij Concilij Pariſienſis, Iulius Cæſar Velius, Marcus Antonius Bonciarius, Petrus Paulus Venturinus, Proſper Alpinus, Thomæ duo Dempſterus, & Segetus Scoti, & Ioannes Manganus. Ex ijs demum, qui nunc lucis uſura fruntur, & literas meliores amant, eundem in delicijs habent Clariſſimus & omnis penitioris literaturæ Vir Caſſianus à Puteo eques, cui nuper inſcripſit *explicationem antiquiſsimæ picturæ, quæ Romæ* viſitur, Ioſeph Maria Suareſius, Muſarum ocellus, Præpoſitus, & Vicegerens Avenionenſis, Ioannes Meurſius, Gerardus Jo. Voſſius, Ericius Puteanus I. Lipſij ſucceſſor, Nicolaus Fabricius, Peireſchius Regij Conſilij Aquis Sextijs Senator, Nicolaus Rigaltius, Petrus Scriverius, Annibal Campeggius I. C. Daniel Heinſius, Chriſtophorus Forſtnerus, Everardus, & Adolphus Vorſtius, Albertinus Bariſonus Abbas, & Canonicus Patavinus, Pandectarum in publicis ſcholis interpres, Felix Oſius inibi eloquentiam docens, & alij, quos omnes tua vicit humanitas Illuſtriſſime, & Excellentiſsime MOLINE, qui licet literatorum omnium Mæcenas habearis, in LAURENTIUM PIGNORIUM tamen ſic effunderis, ut ejus labores inter ceteros ſtudioſiſsimè complectaris, & Orbi toti parere velis. Colitur, & ab alijs ſummis & eruditis viris Pignorius, ut indicabunt elogia, quibus

 ab

ab illis ex merito decoratur. A varijs Academijs exoptatus inter *Ricouratos* Patavij præcipuè fulſit, tali ſibi epicheremate concinnato.



Extant & ejuſdem alia Epicheremata duo. Unum Apodis cum lemmate. *Tellurem preſsiſſe pudet.*



Alterum Tripodis cum dicto. *Non uno reſponſo animum deluſit.*



Dubia ſanè ſententia, ſed qua teſtari voluiſſe videtur, quod cùm plurimum Aulæ inſervijſſet, paululum inde emolumenti hauſiſſet. Sed hæc ingeniorum infelicitas eſt, ut ipſi vix habeant, quod ſatis ſibi ſit, cùm otio, & inertia torpentibus affluant omnia. Poterit ille tamen hoc anno M. DC. XXX. epicherema ſuum aliter interpretari. Nactus Tarviſinum Canonicatum liberalitate Eminentiſſimi Cardinalis FRANCISCI BARBARINI fratris filij Summi Pontificis URBANI VIII. qui patrui ſapientiſſimi veſtigijs inhærens, una cum ANTONIO fratre, literarum Ocelli prædicantur ambo, Muſarumque deliciæ, & incrementa ſapientiæ pariter ac literariæ rei, viros bonis artibus excultos juvare, & ornare quotidie pergunt. Tali recreatus honore PIGNORIUS felix

vivit, & æternum ut vivat precor, patriæ ſuæ decori, & ornamento; & hæc mihi ſine fuco dicta de amiciſſimo, & eruditiſſimo viro, cui immortalem gloriam peperere, quæ ſubdam divini illius ingenij monumenta. Ad hanc enim uſque diem.

Edidit latinè Pignorius.

VEtuſtiſſimæ tabulæ æneæ, ſacris Ægyptiorum ſimulacris cælatæ, accuratam explicationem, &c. *Venetijs apud Ioan: Antonium Rampazetum, Anno* M. DC. *ſumptibus Iacobi Franci, cum privilegio in* 4. Quæ prodijt etiam Francofurti typis Matthiæ Deckeri, hoc titulo.

CHARACTERES ÆGYPTII, hoc eſt ſacrorum quibus Ægyptij utuntur ſimulacrorum accurata delineatio; &c. in 4.

DE SERVIS, & eorum apud Veteres miniſterijs commentarium, *Auguſtæ Vindelicorum ad inſigne Pinus, Anno* M. DC. XIII. in 4.

Notulas extemporarias in Emblemata Andreæ Alciati, *Patavij apud Petrum Paulum Tozzium, Anno* M. DC. XIIX. 8. In eadem Commentaria ampliora. *Patavij apud eundem, Anno* M. DC. XXVI.

PROSOPOPOEIAM ALDINÆ CATELLÆ. *Patavij Typis Laurentij Paſquati, Anno* M. DC. XXII. *in fol.*

Tandem *ſub titulo* LACHRIMARVM POETI-

CA-

CARVM IN OBITVM ALDINÆ CATELLÆ *Pariſijs apud Nicolaum Buon.* M. DC. XXI. *in* 8.

MAGNÆ DEVM MATRIS IDÆÆ & ATTIDIS INITIA, *Pariſijs apud Nicolaum Buon; via Iacobea, ſub ſignis SS. Claudij, & hominis ſilveſtris, Anno* M. DC. XXIII.

Sed auctiora. 4. *Venetijs anno* M. DC. XXIV. *ſumptibus Petri Pauli Tozzi, Bibliopolæ Patavini.*

Carmen ad Urbanum VIII. Pont. Opt. Max. *Patavij ex Typographia Laurentij Paſquati, anno* M.DC. XXIII. 4.

Aponum ad Franciſcum Barbarinum Card. *Patavij ex typographia Laurentij Paſquati, Anno* M. DC. XXIII. 4.

MISCELLAM ELOGIORVM, ADCLAMATIONVM, ADLOCVTIONVM, CONCLAMATIONVM, EPITAPHIORVM, &c. *Patavij apud impreſſores Camerales, Anno* M. DC. XXVI.

SYMBOLARUM EPISTOLICARUM librum, in quo nonnulla ex antiquitatis, Iuris civilis & Hiſtoriæ penu depromuntur & illuſtrantur, multaque Auctorum loca emendantur & explicantur. *Patavij ex typographia Ioan. Baptiſtæ Martini, & Livij Paſquati, Anno* M.DC. XXVIII. 8. *Et iterum apud Donatum Paſquardum, & ſocios.* M. DC. XXIX.

Antiquiſſimæ Picturæ, quæ Romæ viſitur, Typum, ad V. N. Caſſianum à Puteo, Equitem, *Patavij apud Donatum Paſquardum* M. DC. XXX.

Re-

Recognovit, & evulgavit Elogia Anachoretarum Jacobi Cavatij, & ijſdem Præfationem elegantiſſimam adjecit.

Italicè.

ANNOTATIONI, & AGGIUNTE al libro delle imagini de gli Dei di Vicenzo Cartari. *In Padoua, appreſſo Pietro Paolo Tozzi, nella ſtamparia del Paſquati, l'Anno* M. DC. XXV. & M. DC. XXVI. *in* 4.

Della conſecratione delle Vergini. *In Padoua, appreſſo Pietro Paolo Tozzi,* M. DC. XXVI. *in* 4.

Garreggiamento vicendevole in lode dell' Illuſtriſſimo Signor Domenico Molino. *In Venetia l'Anno* M. DC. XXIV. *in* 4.

NOTITIE HISTORICHE ſopra la Gieruſalemme del Taſſo. *In Venetia, appreſſo Nicolò Miſſerini l'Anno* M. DC. XXV. *in* 24. XXVIII. *in* 4.

L'ORIGINE DI PADOUA. *In Padoua, appreſſo Pietro Paolo Tozzi, l'Anno* M. DC. XXV. *in* 4.

L'ANTENORE. *In Padoua appreſſo Pietro Paolo Tozzi, l'Anno* M. DC. XXV.

L'ATTESTATIONE DI GIVLIO PAOLO. *In Padoua, nella ſtamparia di Pietro Paolo Tozzi, l'Anno* M. DC. XX. *in* 4.

LA PRENCIPESSA delle compoſitioni

tioni sfiorata Riotta. *In Venetia appreſſo Antonio Pinelli Stampator Ducale, l'Anno* M. DC. XXV. *in* 4.

LA VITA DI SANTA GIUSTINA VERGINE ET PROTOMARTIRE PADOUANA. *In Padoua, per Giouan Battiſta Martini, & Liuio Paſquati Stampatori Camerali, l'Anno* M. DC. XXVI. *in* 4.

Habet nondum edita, ſed perfecta, & editioni parata.

Variorum carminum lib. 2.

Simbolarum epyſtolicarum lib. 3.

Sacrorum monumentorum librum Etruſco idiomate conſcriptum.

Riſpoſta all' Apologia del P. Angelo Portenari della libertà de' popoli Veneti.

Hæc illius ſunt, quibus è re mihi quoque viſum, ad indicandam ejuſdem præſtantiam adſcribere Clariſſimorum virorum aliquot judicia, ſive teſtimonia, quæ ad nos pervenere, & hæc in primis è literis, in quibus ad Illuſtriſſimum Dominicum Molinum datis ijdem viri Clariſſimi Pignorij meminere.

Annibal Campegius Dominico Molino Senatori Ampliſſimo S. P. D.

Offendunt me in agris ſpatiantem poſtremæ literæ tuæ, ſeu verius Laurentij Pignorij Symbolæ, quæ me in Parnaſſum legentem tranſtulerant, uſque adeo Muſarum amœnitatibus refertæ ſunt. Nam quis in eo eruditionem non miretur, qui jam eruditionis nomen ſuum fecerit, ut doctiſsima ejus monumenta teſtantur, ſi duos præterea ſimiles haberet Italia, faſces fortaſſe, ut ingenij, ita eruditionis illi Germania ſubmitteret. Sed quid, Te in beatiſsima Italiæ parte ſtudiorum, & libertatis præſide ſperare non licet? Te quidem jam unum reſpiciunt literæ, te aſſertorem & vindicem miratur Italia, ad te ex toto terrarum orbe confugiunt dedita Muſis ingenia. Sed ut ad Pignorium redeam, non poſſum non tibi in præſens teſtari, quantas illi gratias debeam, quod me obſcurum hominem in luce epiſtolarum ſuarum collocarit, ut hoc veluti pignus immortalitatis haberem; id, ſi quando uſus venerit, eruditiſsimo viro atteſteris, oro te per hæc Muſarum ſacra, ut hoc quoque ipſe officio literis meis perfungar, &c.

Ticini ter. Id. Sept. M. DC. XXVIII.

Daniel Heinſius Dominico Molino, &c.

A Laurentio Pignorio, viro verè eximio, & qui priſcam illam, propriamque Italorum laudem, ſive proſa, ſive verſu ſcribit, fortiter it reſtitutum, literas accèpi, ad quas proximè ſum reſponſurus. Quæ Ioſephus

Sca-

Scaliger ad Triumviros amorum olim ſcripſit & ante mortem auxit, ante annos aliquot Genevam excudenda miſi; ſed cum videam ab ijs nihil præter moram expectandam eſſe, repoſcendus nobis erit codex, quæ vel Elzevirio, vel alij hic excudendum tradam, ſi quæ meditata ſunt in eam rem doctiſsimo Pignorio, cum videbitur tranſmittat, opera quamprimum dabitur, ut voti fiat compos. &c. Lugduni Batavorum 13. *April.* M. DC. XXII.

Jo: Meurſius Dominico Molino, &c.

Pignorij libellus eſt egregius, & profectò eſt vir ille ſummum omnino Italiæ veſtræ ornamentum. A. D. XI. *Maij. Anno* M. DC. XXIV. *Domino Bonifacio, cujus virtutem, & doctrinam, tum affectum in me iſtum magni facio ſalutem officioſam dico; ut & Domino Pignorio, à quo miſſa mihi ſalus per literas ad Heinſium noſtrum ſupra modum grata fuit. Amo benevolentiam viri in his ſtudijs noſtris magni, & repono item affectum.*

Cerardus Jo. Voſſius Dominico Molino, &c.

In calce epiſtolæ. *Item quando occaſio erit ſummo viro Pignorio, cujus ego omnia & avidè lego, & maximi facio, uti rara ejus eruditio meretur.*

Lugd. Batavorum pr. Id. Sept. M. DC. XXV.

Idem. in libro. 3. de Hiſtoricis Latinis paginâ mihi. 727.

Cujus rei indicium debeo viro clariſsimo Laurentio Pignorio.

Paulo poſt pag. 733.

Hæc omnia manuſcripta ſuperſunt Patavij, apud clariſsimum, & diffuſæ reconditæque eruditionis virum Laurentium Pignorium.

Summus vir Laurentius Pignorius p. 738.

Ut ex doctiſsimo Laurentio Pignorio accepi p. 745.

Ut didici ex viro clariſsimo Laurentio Pignorio, & infra. pag. 746. 747. 818. 819. 820. 822. 823. 824. 827. 828. 830. 838.

Balthaſar Bonifacius Dominico Molino, &c.

Laurentio Pignorio, qui de Elogijs, atque Inſcriptionibus luculentum opus nuper confecit, &c. VIII. *Kl. Sext. Anno* M. DC. XXVI.

Chriſtophorus Forſtnerus in dedicatoria Orationis ad Jo: Cornelium Ducem Venetum p. 4. *docuit enim nos Laurentius Pignorius vir clariſsimus in notitijs hiſtoricis.*

Andreas Scotus de bono ſilentij p. 203. & in Muſeo Calceolariano pag. 293. 368. 375. 614. *Erant enim varij tunc, ut hodie ſervorum gradus, ut obſervat Iac. Rævardus, Auſonius Popma, & Laurentius Pignorius* ex lib. 49. cap. 3. p. 2285.

Ex

Ex lib. 55. cap. 1. & paſſim Jure Pont. lib 1. cap. 25.

Item Barthius in lib. 47. cap. 23. de eruditioribus ſervitijs. *Alia apud doctiſsimos viros Io: Popmam, & Laurentium Pignorium.*

Ex lib. 49. cap. 3. De ſtigmatis Servorum; *ſi quæ cupis lege Pignorij Commentarium de Servis.*

Ex lib. LI. cap. x. de Tympanis.

Tympana veterum cribris fuiſſe ſimilia, ex conſpectu ipſo eorum apparet, quem exhibuit nobis in admodum eleganti Commentario de Servis Laurentius Pignorius.

Ex lib. LV. cap. 1. *Titus Popma, & Laurentius Pignorius Commentarijs peculiaribus de ſervis, &c.*

Jacobus Gutherius de Vetere Iure Pont. lib. 1. cap. 25. in fine: *Extat menſa Iſiaca, quæ in Ducis Mantuani Bibliotheca adſervatur, ex Petri Bembi reliquijs, illuſtrata pridem perdoctis Pignorij Commentarijs.*

Petrus Scriverius animadverſionum in Epigrammata Martialis lib. 1. p. 9. *Sed quis hodie, Scaligero, Lipſio, Caſaubono, & Velſero (quantis Di boni viris!) defunctis, tantæ eruditionis, aut ſpiritus, qui Spartam hanc dignè exornare poſsit? Poſſes tu veterane Schote, poſſes eruditiſsime Grutere, poſſes tu Pignori.*

Nicolaus Craſſus in vita Andreæ Mauroceni p. 42. *ut magnos illos Scaligeros, & Lipſios Italia exteris nationibus non inviderct, Laurentium quoque Pignorium, & Martinum Sandellium Contareno conjunctiſsimos.*

Andreas Maurocenus ex L. Pignorij de Antonio Priolo Venetiarum Principe Elogio Epiſtol. poſtrema 246. *Sileant marmora, taceant æra; obmuteſcant picta, ſculpta, cælata monumenta: omni ære, ac marmore firmius, & perennius Pignori doctiſsime trophæum iſtud erit, abs te ſapientiſsimo, prudentiſsimo, feliciſsimo Antonio Priolo Principi erectum, &c.* & in calce. *Salve interim Pignori, pignore quolibet carior, ac pretioſior, qui dum alijs immortalitatis ſpecimen impertis, tui memoriam in omnem poſteritatem longiſsimè propagaſti.*

Antonius Quærengus in carm. ad Hieronymum Aleandrum, de Laurentij Pignorij commentario in Tabulam Ægyptiacam.

Docta inter monumenta, quæ perenni
Sunt digniſsima laude, jure cenſes,
Erudite Aleander, hunc libellum,
In omnes celebrem dies futurum,
Quo Laurentius, inclytum Latini
Eloqui decus, abditas vetuſtis
Sacras Niligenum notas figuris,
Pandit mirifica explicatione.
Vivet, quis dubitet? ſuopte cunctas
Per terras genio aureus libellus.
Verum clarior uſque, & uſque vivet,
Tuâ quod merito poli ad ſupremam
Arcem tollitur approbatione.

In lib. 3. pag. 197.

Fortunius Licetus in lib. de Lucernis. *A Laurentio Pignorio ſpectabilis eruditionis viro, feſtiviſsimum hoc etiam habui. lib. 2.*

Et lib. 3. *Poſt Aldrovandicas, & Coradinas apud Laurentium Pignorium antiquæ rei cultu egregium, duas fictiles vidi lucernas.*

Jo: Thuilius in Præfatione Emblematum Alciati pag. 9.

Idem præſtitit in elegantiſsimis ſuis Emblematis Hadrianus Iunius, ſed in Alciatinis ante me adhuc nullus: niſi quod Pignorius plurimas figuras ex venerandæ Antiquitatis monumentis paſsim correxit, & feliciter reſtituit, cui ſane hac in parte multum debemus.

Felix Osius In Caſtig. in Auguſtam Hiſtoriam Muſſati p. 191. *Cenſet enim is in Itinerario, cujus loci indicium debeo Viro Cl. Laurentio Pignorio, rerum antiquarum rariorumque, ut indici, ita & vindici excellentiſsimo, apud quem ejus Itinerarij Codex extat.*

Pag. 14.

Abrahamus Ortelius in Itinerario, quod M. S. extat penes eruditiſsimum, & amiciſsimum Laurentium Pignorium.

In Urbe Æterna lib. 1. cap. 1.

Adjecit his Antonini Pij numiſma Goltius, elencho Hiſtoriæ, primo Adriani, præterea Commodi, &c. & Flavi Priſci Attali, quod aureum mihi recens oſtendit vir amiciſsimus, multarum, atque adeo reconditarum rerum notitia perinſignis Laurentius Pignorius.

Et

Et in calce ejuſdem capitis.

Nec deſunt, qui pari fine conjecerint, impoſitam fuiſſe Turrim Capiti Genij Populi Romani, in Flavij Valerij Severi nummo, quorum ego conjecturæ plenâ cerâ ſubſcriberem, niſi Vir Clariſsimus Pignorius, à quo monumenta propemodum omnia vetera non excuſſa modo, ſed extrita penè ſunt, non Turrim, ſed Modiolum Serapidis ejus in Genij capite collocaret.

Iacobus Philippus Tomaſinus in elogijs Illuſtrium virorum pag. 14.

I *Quæ in Bibliotheca ſupra laudati viri eximij, Pignorij, Antiquitatum omnium ſtudioſiſsimi cultoris extant.*

II. Pag. 271. *Hujus mihi rei teſtis est eruditiſsimus vir Laurentius Pignorius.*

In vita Titi Livij Patavini.

III. Pag. 36. *Cui iſta non ſatisfecerint, legat is epiſtolam Laurentij Pignorij* 44. *Balthaſari Bonifacio ſcriptam.*

IV. Pag. 60. *At ea memoria perijt Pignorio teſte in ſuis Originibus Patavinis.*

In Franciſco Petrarcha redivivo Cap. x.

V. *Viri Clariſsimi Laurentij Pignorij, Canonici Tarviſini carmina.* & alijs locis paſſim.

VI. In Bibliothecis Patavinis Biblioheca S. Ioannis in Viridario: *ut expreſſè teſtatus eſt Vir omni litera-*

rum

rum genere clariſsimus Laurentius Pignorius lib. ſymbolicarum epiſt. 3.

In Athenis noſtris Patavinis paſſim meminimus.

In Annotationibus Poëmatis Torquati Taſſi, cujus eſt titulus *Goffredo* Etruſco idiomate conſcriptis. in ea parte, *Dichiarationi delle Hiſtorie*, &c. leguntur hæc.

La divina penna di Monſignor Pignoria ammirata da me in tutti li ſuoi tratti, hà illuſtrato queſta parte del Taſſo, che contiene l'Hiſtorie, onde le ſue NOTITIE, *come coſe ſacre, le leverò, inteſſendole in queſte mie dichiarationi, come fiori, ò perle, acciò l'opera ricevi vaghezza, e ſplendore.*

Nec funeri quæ vivo laus defuit. unam GOLDASTI Viri inter eruditos ſummi, in ſua ad Illuſtriſſimum, & Eccellentiſſimum DOMINICUM MOLINUM Epiſtola ſubdere viſum.

PIGNORII *induſtriam immortali vitâ inter mortales digniſsimam nunc jacere, quis tam alienus ab humanitate eſt, ut æquo animo ſuſtineat. Nam & eum vixiſſe, idem mihi Maximilianus noſter conſtanter affirmavit, & tua quidem fide. Sed erramus: non vixit, ſed vivit, & cum beatis cælitibus fruitur aura divinæ contemplationis. Neque enim aliter ut ſentiamus, ingenium, candor, ſinceritas, probitas, fides, quæ in ſcriptis ejus eluceſcunt, mihique aliunde ſatis cognita, perſpectaque fuerunt, permittunt. Sanè ingentem jacturam feci in ejus obitu, ſed abitu: quo præiviſſe eum cenſeo, ut mox propero pede inſequamur. Nuper mecum egerat de Opuſculis ſuis, tam editis,*

(m) *quam*

quam ἀνεκδότοις in unum corpus redigendis, & ut mea comitate, ac miniſterio in hiſce oris ſimul imprimantur ad me tranſmittendis procurandiſve: Quid nunc illis fiet? Quin poſtremis literis, Illuſtriſsimæ Dominationis tuæ effigiem, ære expreſſam, cum alijs nonnullis ad me mittere adſtipulatus erat. Utinam ſit, cui ambas imagines, Molini (inquam) & Pignorij, hominum mihi ſempiternâ memoria colendorum, debere agniturus ſim? ut quos coram complecti non licet, ſaltem in vultibus adoſculari permittatur, &c.

LAU-

LAURENTII PIGNORII
MUSEUM.

In Iconotheca Laurentij Pignorij laudati ſpectantur multa, eaque præclara, quæ paucis hic amplectar.

In ipſa fronte oſtij Muſei occurrunt ſtatim hæc carmina.

Sidera doctrinæ hic fulgent digniſsima Cælo,
Quæ placidam illuſtrant non lævo lumine vitam:
Selige tu tibi, quæ inſtillent virtutis amorem,
Ut ne oculos tantum Pictura oblectet amicos.

IMAGINES VIRORUM CLARISSIMORUM.

Cæſaris Baronij S.R.E. Cardinalis, & Hiſtorici præclariſſimi.

Roberti Bellarmini S.R.E. Cardinalis, & Eccleſiæ propugnatoris accerrimi.

Scipionis Cobellucij S.R.E. Cardinalis.

Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi *Dominici Molini*, Senatoris Veneti & literatorum Mæcenatis, ſub qua hæc leguntur.

GENIO POTENTI HUMANITATIS, ET TUTELÆ.

Qui.

PHOEBÆAS ARTES ALTO CUM PECTORE JUNXIT.

Aloyſii Lollini Epiſcopi Bellunenſis, Philologi eximij.

Guerini Piſonis I. C. præclariſſimi.

Speronis Speronij Philoſophi, ac Oratoris inſignis.

Franciſci Petrarchæ Vatis eminentiſſimi.

Ioannis Vincentij Pinelli.

Guidi Panciroli I. C. excellentiſſimi.

Pauli Aicardi ſummi Philoſophi,

Torquati Taſsi Etruſcorum Poëtarum decoris.

M. Tullij Ciceronis.

Bernardini Scardeonij Canonici & Hiſtorici accuratiſſimi.

Aloyſii Corradini I. C. & cauſarum actoris ſtrenui.

Everardi Vorſtij, Medici peritiſſimi.

Edmundi Brutzij.

Onufrij Panuinij.

Valerij Belli Sculptoris gemmarum nobiliſſimi.

Honorij Belli Medici.

Lauræ, Franciſci Petrarchæ Amaſiæ.

Iſotæ Nogarolæ.
Angelæ Nogarolæ.
Caſſandræ Fidelis
Lucretiæ Borromeæ.
} Mulierum eruditiſſimarum.

Antonij Quærengi Poëtæ celebratiſſimi.

Quibus accedunt Phœnix proprijs coloribus, & germanâ figura delineatus ex Pignorij obſervationibus in veteres auctores, & tabulæ pictorum celebrium.

Ca-

Capita aliquot Virorum inſignium è marmore, operis antiqui.

STATUÆ.

Romæ bellatricis Deæ exerto brachio.

Harpocratis quæ ſpectatur in lib. de Imaginibus Deorum. pag. 335. & 553.

Mercurij.

Æſculapij, quæ cernitur in lib. Symbol. epiſt. XIII. pag. 48.

Palladis.

Apollinis inter Deorum Imagines conſpicitur pag. 592.

Serapidis, ſive Priapi.

Pocillatorum, è miniſterio antiquo, quæ expreſſæ cernuntur in *libro de ſervis*, pag. 69. 70. 71. 72.

Equitis armati.

Variorum Virorum, *Mulierum*, è donarijs templi apud Hadriam, quas intuemur in libro de Originibus Patavinis cap. XI. p. 61. in quibus elucet habitus incolarum vetuſtiſſimorum, ſive Phryges advenæ illi fuerint, ſive è Tuſcia coloni.

NUMMI ET NUMISMATA.

Hæc carmina inſcripta capſulæ leguntur, in qua diſpoſita ſunt veterum Cæſarum numiſmata.

Cæſareos Proceres, in quorum præmia ceſſit
Res Romana olim, ſpectandos arcula promet.
Tu ſapiens animo atque oculis ſpectator adeſto,
Et cum de tanto hæc faſtu vix fruſtula reſtent,
Aſſueſce humanis minimum confidere rebus,
Invida quas volucri Rhamnuſia turbine verſat.

Veteres argentei nummi, & ærei gentium Romanorum cum Regibus Romulo, Numa, Anco Martio, &c.

Ad hæc totius Græciæ,quà continentis,quà Inſularum Numiſmata, & Africana,& Hiſpañica, Hebræa, & Barbara nonnulla.

Cæſarum Imagines non deſiderantur ex ære,ex arargento, & aliquot ex auro pulcherrimæ.

Sigilla ærea quamplurima, & eorum pariter ejuſdem ſeculi non minima congeries,in quibus nominum propriorum, familiarum, ſtemmatum, civilium munerum, multa obliterata in lucem revocantur.

Numiſmata Cæſarum poſteriorum, in quibus præclara aliquot ad res Chriſtianas pertinentia.

Nummuli aurei Regum Gallicorum,ijque rariſſimi.

Monetarum nov-antiquarum acervus.

Nummi plumbei, qui ſpectantur in lib. de ſervis pag. 123.

Artificij recentioris ſpectantur Imagines, à Jo. Cavino, clariſſimo noſtrate cælatore expreſſæ; tum Auguſtorum & Auguſtarum, tum Illuſtrium Virorum, qui patrum noſtrorum ævo floruerunt, Pontificum aliquot, Cardinalium & Ducum vultus ſpectantur.

S U-

SUPELLEX ANTIQUARIA.

Æris gravis partes in Symbolis ſpectantur epiſtolicis. Epiſt. 11. pag. 12.

Modulus exactiſſimi pedis antiqui.

Pondera Unciæ, & Semunciæ legitima Romana, & quædam Conſtantipolitana, & ævi recentioris.

Stylus	*quæ expreſſa cernuntur in libro de Servis.*	pag. 112.
Teſſera		pag. 156.
Acus crinales		pag. 200.
Armillæ		pag. 145.

Murenulæ.

Securis anceps ſpectatur in Antenore cap. 6.

Plumbatæ.

Jaculum, quod intuemur in vita Antenoris cap. 6. pag. 20.

Claves	*quæ videnda ſe offerunt in libro de Servis.*	pag. 106. 107.
Lenticula		pag. 40.
Calculi		pag. 165. 168
Fibulæ		pag. 76. 77.

Annuli

Lychni, qui expreſſi videntur in lib. Fortunij Liceti de Lucernis antiquorum.

Amuletum, ut in menſa Iſiaca pag. 33.

Papyri vetuſtiſsimæ inſcriptæ notis Longobardicis duo grandiora fragmenta.

Segmenta veſtium cum oris purpureis antiquis.

Conchyliorum variæ ſpecies, in quibus multa lapidea naturæ luſu.

Gem-

Gemmæ annulares inſignes non paucæ, ſive ex promiſcuo ſignandi uſu, ſive ex myſterijs Ægyptiorum, & veterum hæreticorum.

Lapilli, & Gemmæ.

Alectorius.

Smaragdus è fodina.

Iaſpis ſanguinem ſiſtens.

Stauros lithos.

Cryſtallorum naſcentium congeries.

Vaſcula pretioſa, ex Argilla Melitenſi.

Tabellæ æneæ, quæ typos exhibent pugnarum Bacchanalium.

Tabellarum, & hiſtoriarum magnus numerus, inter quas eminent Piſani pictoris, & ſtatuarij maxima toreumata, quæ vocamus Italicè *Medaglioni.*

Alberti Dureri typus plumbeus, exhibens Imaginem muliebrem artificij ſingularis.

Exotica non pauca, veluti legumina ex India.

Chartæ, & Sericum è regione Sinarum.

Succinum rude, & ſimilia.

Et ut uno verbo dicam, Amphitheatridium artis & naturæ unico conclavi concluditur.

BIBLIOTHECA LAURENTII PIGNORII,

Pro foribus.

Quiſquis amas miſeræ duxiſſe oblivia vitæ
Accede, & latebris propera te abdere noſtris;
Hic tibi quotquot habet natura arcana recludet,
Imbuet atque avidum monitis ſapientia pectus.

Extant inibi hi calamo exarati Codices

LATINI.

1. Titi Livij prima Decas.

2. Horatii Carmina ſcripta characteribus Longobardicis, ex munere Cl. viri Nicolai Craſſi, S. C.

3. Ovidii Metamorphoſis, ex munere Cl. Viri Joannis Bonifacii, Hiſtoriarum ſcriptoris.

4. Virgilii Bucolica, cum notis, qui Codex fuit primum Bernardi Bembi, deinde Petri Bembi Cardinalis.

5. Ejuſdem libri Æneïdos, item cum gloſſis; qui fuerunt Modeſti Polentoni, Sicconis filii, & Petri Bembi Cardinalis.

6. Vita Virgilii, auctore Servio Honorato Grammatico.

7. Ciceronis Topica, cum Commentario Boëtii.

8. Boëtius de conſolatione Philoſophiæ.

9. Vitruvius de re ædificatoria.

10. Pomponius Mela.

11. Apicii Cœlii Epimeles.

12. Fragmenta Aſconii Pædiani, & C. Valerij Flacci, ex editione Poggii.

13 Prudentii Diptychon.

14. Sortes Apoſtolorum, & Commodianus, Auctor antiquiſſimus, à Iacobo Sirmundo, eruditiſſimo Theologo, manu propria deſcriptus, & dono datus

15. Notitia Urbium Variarum, incerti auctoris, ex Iſidoro, & aliis.

16. Ioannis de Ravenna Opera.

17. Epiſtolæ Petri de Vineis, & aliorum, è quibus aliquot tranſtulit in ſua vetera monumenta Vir. Cl. Sebaſtianus Tengnagel, editæ Ingolſtadii, Anno M.DC.XII.

18. Summa artis vulgaris dictaminis, auctore Antonio de Templo, Iudice Patavino, exemplaria duo.

19. Clarorum virorum epiſtolæ, ex munere amiciſſimi viri Hieronymi Aleandri.

20. Ieſuida, & carmina Hieronymi de Vallibus Patavini.

21. Capitula de Amore & dilectione Dei & proximi, Albertini Iudicis Brixienſis,

22. Clariſſimi viri, Guarini Veronenſis, ad Ludovicum de Gonzaga, illuſtrem Mantuæ Marchionem, de Diphthongis compendiolum, cum Valerio Probo, de notis Antiquorum, & Aldo Manutio ad Chriſtophorum Fulginatem, de Diphtongis Græcis.

23. Andreæ Navageri Carmina.

24. Ca-

24. Capitula Mineralium.

25. Vita Senecæ, Auctore Franciſco Petracha.

26. Hiſtoriæ Latinæ ſcriptores, cum Cenſura Caroli Sigonij,

27. Commentaria in Perſium, & Juvenalem.

28. Albertini Muſſati Eccerrinis.

29. Franciſcus Barbarus de re uxoria.

30. Ioannes Jovianus Pontanus de Fortuna, ex autographia P. Bembi.

31. Inſcriptiones antiquæ Urbis, & agri Brixiæ.

32. Franciſci Pamphili Sancto-Severinatis Picœni Fragmentum.

33. Pomponii Læti autographum in Quintilianum, Martialem, & alia ejuſdem.

34. De machinis hauſtoriis incerti auctoris fragmentum.

35. Ludovici Lalarelli de apparatu haſtiludii Patavini fragmentum.

36. Oratio Io. Baptiſtæ de Adrianis ad Ducem Auguſtinum Barbadicum.

37. Statii Thebaïdes.

38. Logica Pauli Pergulenſis, cujus apud Pignorium imago ectypa viſitur.

39. Dantis Tertii Aligeri Panegyricus ad Franciſcum Diedum, Veronæ Prætorem.

40. Matthæi Palmerii Chronica.

41. Tranquilli Moloſſi Cremonenſis carmina.

42. Bartholomæi Fuſci Leonici Veneti de Thomeis Carmina.

43. Publii Auguſti Gratiani Utinenſis Odarum, ſeu Hymnorum liber, cujus imaginem in Icono-theca Pignorius adſervat.

44. Farrago Carminum, Orationum, Epiſtolarum nov-antiquarum.

45. Capitulare Eccleſiæ S. Marci, auctore Nicolao Moravio.

46. Vita Beati Euſtochii.

47. Provinciale Romanum.

48. Series Epiſcoporum Patavinorum.

49. Joannis Sancto-Martini Medici Vicentini de Vinorum commixtione.

50. Jacobi Cujacii diſſertatio in Titulum de Pactis.

Præterea habet multos Codices impreſſos, notatos ad marginem manu doctiſſimorum virorum.

Ad hæc Volumen Epiſtolarum variarum Autographum.

A. Matthioli
C. Cluſii.
R. Dodonei.
G. Bacchini.
Torquati Taſſi, &c.

Item Opera Ciceronis duobus Tomis, ex Bibliotheca Caroli Quinti Imperatoris.

CO-

CODICES GRÆCI.

1. Gloſſarium.
2. Homeri Batrachomyomachia.
3. Orphæi Hymni.
4. Ariſtotelis Rhetorica.

LINGUIS VERNACULIS Scripti.

1. Le Origini delli Longobardi.
2. Croniche della Città di Parma.
3. Cronica di Eſte.
4. Cronica di Frate Martino.
5. Le inventioni antiche, & moderne de Giulio Pancirolo.
6. Fragmento d'Hiſtoria di Papa Aleſſandro, donato dall' Eccellentiſſimo Signor Gio. Bonifacio, con figure antiche.
7. Compendio delle Navigazioni del Rhamuſio, & altre coſe.
8. Di Leon Battiſta Alberti inventioni diverſe.
9. Viaggio di S. Carlo alla Santa Sindone, & Inventione del Corpo di S. Stefano Protomartire.
10. Varie memorie della Religione Franceſcana.
11. Delle coſe auvenute nella Creatione del Sereniſſimo Principe Donato.
12. Teſoretto di Brunetto Latini.

13. Theſeide del Boccaccio.
14. Regola, & modo per fare li Horologi da Sole.
15. Marco Antonio Soranzo delle Cifre.
16. Arte del Navigare in lingua Portugheſe.
17. Regole di Conache.

At fluxa, & caduca nimis hæc noſtra. Adeò verum Tragici illud.

Ubiquè mors eſt. Optimè hoc cavit Deus,
Eripere vitam nemo non homini poteſt,
At nemo mortem.

Typographo Jo. Baptiſtæ Martino Muſeum hoc cum Bibliotheca noſtra jam excudendum deſtinaram, verùm ſerpente Patavii contagio, nobis inſperatis ille vita excedit. Malo in dies ſine delectu in quoſvis ſæviente, x. Junii in extremos Colles Euganeos CORTELLATAM ſecedo. Loci amœnitatem vix oculis hauſeram, en ferales literas, quæ Clariſſimi D. Pignorii noſtri abitum nunciantes, mihi lacrymas extorſerunt, ſimulque affectus extremum Pietatis officium elicuit, piis precibus & ſolemni parentalium ritu mitigans doloris acerbitatem. Quod ne lateret poſteros: Viro amiciſſimo, cum Nepotibus eodem fato abreptis, monumentum hocce ſupra Aulæ oſtium erexi, ut ſuæ conditionis memores Advenæ tanti Viri obitum lugeant.

LAV-

LAVRENTIO PIGNORIO,

MVSARVM CORCVLO,

FRANCISCO, ET ANTONIO

NEPOTIBVS,

EX PESTE PEREMPTIS,

IAC. PHIL. TOMASINVS.

HANC GRATI ANIMI MEMORIAM

P. C.

Tu verò Illuſtriſſime, & Excellentiſſime MOLINE, literatorum Mæcenas, præclarum adeò PIGNORIO noſtro Monumentum ſtatuiſti, ut jam non peſte ſublatus tumulo lateat, ſed in ſuæ domus faſtigio, ſub porticu D. Laurentij, veluti redivivus, ingenij majeſtate nunquam interiturus, digno emineat encomio, inter tuarum Charitum oblectamenta mortalitatis legibus exemptus. Factum verè ſplendidum, ob quod meritò ſalutaris Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ decus, rei literariæ Alcides, Virtutum ubertas, Phœbi amor, Muſarum delicium, Eruditorum præſidium ac numen.

D. O. M.

D. O. M.

LAVRENTIO PIGNORIO,

ALTERI HVIVSCE ECCLESIÆ PRIMVM PAROCHO,

DEINDE TARVISII CANONICO,

PIETATE, AC MORVM SANCTITATE SPECTATISSIMO,

VERO CANDORIS ET PVDORIS EXEMPLO,

LITERARVM OMNIVM,

CVM GRAVIORVM, TVM POLITIORVM PERITISSIMO,

PENITIORIS ANTIQVITATIS, NON MINVS CERTO, QVAM CVRIOSO

INDAGATORI,

PATRIÆ, AMICORVM, ET SVI IPSIVS MEMORIÆ,

LVCVLENTISSIMIS SCRIPTIONIBVS PROPAGATORI,

MVSARVM DENIQVE ET GRATIARVM CORCVLO, ET OCELLO,

DOMINICVS MOLINVS

SEN. VEN.

AMICO, AC HOSPITI CARISSIMO, ET IVCVNDISS. P.

OB. ANN. CIↃ. ІↃC. XXXI. IDIB. IVNII.

VIXIT ANN. LIX. MENS. VIII.

special
92-P
27684

LIBRARY